



CONGREGATIO GENERALIS XCVII

8 octobris 1964

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, *Ss. Concilii secretarius generalis*:

Moderatur congregationem generalem 97, em.mus ac rev.mus D. card. Leo Ioseph Suenens, arch. Mechliniensis-Bruxellensis.

In initio huius congregationis, Patres venerabiles, gratissimo officio mihi est in omnium memoriam revocare crastina celebratum iri anniversarium piissimae mortis Summi Pontificis Pii XII. Erga tantum Pontificem, fidei et Ecclesiae defensorem, civitatis quoque nostrae defensorem, qui omnes protexit sua sanctitate, pietate et doctrina, animum nostrum convertere dignum est, et pro ipsius anima preces fundere atque eius intercessionem implorare ut nostrum Concilium respondeat optatis Sanctae Matris Ecclesiae et fidelium cunctorum bono et mundi universi paci.

Postulaverunt loqui circa schema *de apostolatu laicorum* exc.mi ac rev.mi DD. Eugenius D'Souza, arch. Bhopalen. in India, Aemilius De Smedt, ep. Brugen. in Belgio, Blasius D'Agostino, ep. Vallen. in Lucania in Italia, Stephanus Barela, ep. Czestochovien. in Polonia, Carolus Wojtyla, arch. Cracovien. in Polonia, Aloisius Bettazzi, ep. aux. Bononien. in Italia, Owen McCann, arch. Capetownen. in Africa Meridionali, Ignatius Ziadè, arch. Beryten. Maronitarum in Libano, Caesar Antonius Mosquera, arch. Guayaquilen. in Aequatore, Antonius Caillot, ep. Ebroyen. in Gallia, Stephanus Leven, ep. aux. S. Antonii in Stat. Foeder. Amer. Septemtrionalis, Gerardus De Vet, ep. Bredan. in Neerlandia, Vilhelmus Conway, arch. Armachan. in Hibernia, Albertus De Vito, ep. Lucknoven. in India, Henricus Tenhumberg, ep. aux. Monasterien. in Germania, Petrus Van Lierde, ep. vic. Summi Pontificis pro Civ. Vaticana, Vincentius Enrique, arch. Oveten. in Hispania, Petrus Veuilot, arch. coad. Parisien. in Gallia, Dionysius Hurley, arch. Durbanian. in Africa Meridionali, Adam Kozlowiecki, arch. Lusaken. in Rhodesia Septemtrionali, Aloisius Barbero, ep. Viglebanen. in Italia, Marcus McGrath, ep. S. Iacobi Veraguenis in Panama, Stanislaus Lokuang, ep. Tainanen. in Sinis, Bernardus Cazzaro, ep. vic. ap. Aysenen. in Chilia.



Eia igitur, Patres colendissimi, transeamus ad suffragationem faciendam circa cap. III schematis *de Oecumenismo*.

Videatis pag. 19. Dispensetis me, Patres, a lectione totius capituli, satis, hercle! laboriosa. Legam tantum principium et finem [*cf. vol. III, pars II, pag. 310-316*].

Placetne, Patres venerabiles, non placet, an placet iuxta modum? Qui suffragantur *placet iuxta modum* tradant assignatoribus modos scriptos modo consueto.

PATRUM ORATIONES

(*de apostolatu laicorum*)

1

EXC.MUS P. D. EUGENIUS D'SOUZA

Archiepiscopus Bhopalensis

Venerabiles Fratres,

Quaecumque a Concilio decernuntur, in praxi tantum realisabuntur, quantum vere optantur. Quaecumque sit littera quam scribimus, spiritu vivificari debet. Sed si in littera ipsa textus aliqua inveniuntur quae iam ab initio spiritum restringere videntur, sive per insufficientem insistentiam, sive per omissionem, tunc timeri potest ne parum in praxi Concilii decreta efficiant.

*Imprimis*¹ iuvat insistere in hoc quod laici nostri vere ut adulti habeantur et tractentur.

Pag. 9 *hic*² citatur, et quidem merito, « Nihil sine episcopo ». Quot et quanti abusus horum verborum iam facti sunt. Tamquam significant: « nil nisi ex iniciativa, secundum ideas episcopi, nil nisi quod explicite episcopus mandaverit vel approbaverit ».

Utique nil fiat contra aut praeter episcopum. Sed ne obliviscamur populum Dei non esse statum totalitarium, in quo omnia ex alto reguntur. Ubi est libertas filiorum Dei? Utique oportet servetur ordo. Bonum est quod existunt organisationes arctius hierarchiae connexae et quod confertur quandoque mandatum canonicum. Sed nequaquam episcopi omnia sub directa sua vigilantia redigere velint, neve aliquomodo ut suspecta habeant quae ipsis non directe subsunt.

Qui schema attente legit, utique concludet actionem catholicam stricte dictam non nisi unam e variis formis apostolatus constituere. Nihilominus clarius in schemate hoc exprimat. In specie pressius incul-



cetur quae in primis lineis pag. 16 habentur. Sympathiam, aestimationem et adiutorium exhibeat hierarchia iis catholicis qui ad bonum diffundendum libera electione conveniunt, etiamsi relativa independentia gaudere cupiunt, et facile sinat nomen catholicum usurpare eos qui fiducia digni videntur.

Ut initio dixi, fratres, schema hoc, quamvis bene redactum, mortua littera remanebit, nisi spiritus vivificet.

Hoc Concilium sibi proponit Ecclesiam renovare, immo quodam sensu reformare. Inter ea quae in Ecclesia ut reformetur eliminanda sunt, eminet iam toties, etiam hic in aula, denuntiatus clericalismus.

Fratres, sumusne nos, clerus catholicus, vere parati ad clericalismum prorsus abdicandum? Ad habendos laicos ut fratres in Domino, nobis, etsi non munere in Corpore mystico, dignitate tamen aequales? Ad non usurpandum amplius, sicut antea factum est, responsabilitates quae propriae eorum sunt, a. v., ut rem paulo discretius exprimam, ad relinquendum eis quae ad eos magis pertinent, ut sint campus educationis, servitii socialis, administrationis temporalis bonorum et his similia.

Exempla vultis? *Fratres carissimi*,³ a capite incipiam. Laudabiliter Ecclesia in variis organisationibus internationalibus repraesentatur. *Ac non intelligo*⁴ cur semper fieri debet per quendam sacerdotem? Nonne possunt etiam in Congregationibus *hic Romae*⁵ permulti clerici a laicis substitui? Cur non possint laici in servitium diplomaticum Sanctae Sedis adscisci, immo aliquas nuntiaturas apostolicas exercere? Alia per multa exempla dari possunt in plano universali, nationali, dioecesano, paroeciali et variarum institutionum, in quibus laici utiliter substitui possunt clericis, ita ut illi muneri sacro et sacramentali vacare possint ad quod exercendum ordinati sunt.

Ut episcopus missionarius humillime dico, inanis esset omnis locutio nostra de impetu ad opus evangelisationis faciendo, nisi esset in omnibus locis in Ecclesia in hac re maximi momenti aliqua radicalis reorganisatio.

Venerabiles Fratres, fidelis et sincera applicatio huius schematis secundum spiritum quo conceptum est, certe in Ecclesia non paucas sat spectaculares mutationes inducere debet. Imploremus saepe Spiritum Sanctum Ecclesiae ut ne desit nobis luciditas et fortitudo ad eas inducendas. Nam fortitudo nobis necessaria erit.

Certum est, si laicis semper ampliorem campum agendi concedimus, non paucos errores et indiscretionem commissum iri. Imo fieri potest ut situatio sat confusa oriatur. Sed lex vitae est quod nihil crescere potest sine aliquibus crisis. Si nobis vere persuasum est laicatum in Ecclesia debere partem habere quam hucusque non habuit, libenter nos



periculis quae evolutio continet exponemus. Utique prudentia est virtus cardinalis. Sed caveamus a nimia prudentia. Prudentia, si ad immobilismum ducit, peior est temeritate.

Hoc praeclarum schema vere ad nos appellat. Novam eram in Ecclesia aperit. Inveniat nos, episcopos et sacerdotes, novos homines, novo spiritu imbutos. Quod si non obtinet, nedum prosit, potius nocebit. Si vero obtinet, novam Ecclesiae iuventutem promittit. Dixi.

In textu scripto tradito: ¹ Alius quidam Indiae episcopus exponet summi momenti esse ut, inter laicos, veri nominis duces hominum oriantur, et dicet cur non sufficienti numero adhuc fuerint, et quomodo efformandi videantur. Meum ergo non est haec repetere. Sed. ² deest. ³ deest. ⁴ deest. ⁵ deest.

2

EXC.MUS P. D. AEMILIUS IOSEPH M. DE SMEDT
Episcopus Brugensis

Venerabiles Patres,

Apostolatus laicorum est motus plenus dynamismi et varietatis. Pululant in Ecclesia incepta et organisationes. Perdifficile est synthesim facere principiorum et methodum quibus reguntur et regi debent. Schema nostrum hoc fecit cum prudentia et *perspicacitate*.¹ Perfici *forsitan*² potest, sed in genere schema *mih*³ valde placet.

Mihi tamen in mentem venit quaestio quam vestris cogitationibus submittere vellem. Problema est hoc: an sufficienter exponitur quod laici in suo apostolatu exercendo observare debent aliorum libertatem religiosam?

Opinio publica acute attendit ad omnia quae in hac Synodo de libertate religiosa dicuntur vel non dicuntur. Si occasione huius declarationis non loquimur de observanda in apostolatu libertate religiosa, timendum est textum nostrum opinione publica male accipi.

*Etenim*⁴ notum est quod laici, qui apostolatu dediti sunt, persaepe accusantur de quadam coactione in re religiosa. Affirmatur quod pressionem exercent, quod alios importunant, quod eos quasi cogere volunt ad vitam christiano modo ducendam. Isti laici apostolici fiduciam amittunt, si non intelligunt, si non sentiunt reactionem hominis moderni qui vult esse liber et omnino personalis in re religiosa.

Numquid in nostro textu sufficienter exponitur quomodo in apostolatu attendendum est ad libertatem religiosam? Liceat mihi quae-



dam elementa afferre quae forsitan inservire possunt ad hoc problema, nedum solvendum, saltem claro modo ponendum.

Ex interventione plurium Patrum in hac aula melius *apparuit*⁵ in libertate religiosa duplicem aspectum esse distinguendum: negativum et positivum. Negative libertas religiosa vetat ne coactio exerceatur in materia religiosa: positive impellit ut adhaesio religioni fiat ex personali et omnimodo libera adhaesione veritati, seu oriatur ex imo fundo personalitatis. Sub his duobus aspectibus quaedam de apostolatu laicorum.

1. *Negativus aspectus.* Sane, casus verae et inhonestae coactionis, ni fallor, in apostolatu *nostrorum*⁶ laicorum non *evenit*.⁷ Sed praemonendi sunt certissime contra quaedam media quae speciem *alicuius*⁸ moralis coactionis praebent. Immoderatus enim et imprudens zelus ad abusus ducit. Tales sunt: intempestiva et importuna insistencia, exaggerationes, nimis systematica et phrenetica propagatio, abusus mediocorum communicationis socialis, pressio moralis, creatio spiritus publici qui homines tantopere ad bonum impellit ut aliter agere ne quidem auderent. Libertas religiosa offenditur quando hominibus videtur se esse « victimas » propagandarum rei catholicae.

Certe, laici catholici debent esse piscatores hominum. Piscatores non exspectant donec pisces spontanee sese offerant capiendos. Piscatores ducunt in altum et mittunt *rete*.⁹ Imitatores debent esse Iesu Christi qui exiit seminare semen suum; cum Ipso quaerere debent indesinenter donec inveniant centesimam ovem et drachmam quae perierat. Etiam laicis in suo apostolatu applicanda sunt verba *Pauli*¹⁰: « Praedica verbum, insta opportune importune; argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina ». Sed verus apostolatus non offendit libertatem religiosam. Imitatur perseverantiam et audaciam *Christi, sane*,¹¹ sed etiam humilitatem et patientiam *Domini*¹² qui in suo apostolatu nonnisi assensum omnino liberum obtinere voluit ab iis *hominibus*¹³ quibus Pater supremum donum libertatis dedit.

Examinandum igitur est quomodo laici apostolici sese gerere debent ne homines impressionem habeant se esse quasi passivam materiam in quam laici apostolici operantur ad numerum credentium augendum *vel*¹⁴ ad suos fines, *quantocumque*¹⁵ sanctos, obtinendos.

2. *Positivus aspectus.* Quando homo modernus exigit libertatem religiosam, non solum excludit omnem coactionem externam in re religiosa. In oculis suis libertas in re religiosa significationem etiam positivam habet. Fidei adhaeret quia perspexit rationes credendi, quia vult assensum suum dare, quia ipse personaliter cum gratia Dei statuit se fore et manere christianum et Ecclesiae membrum. Homo modernus



non agit propter solam traditionem. Non passive sequitur communem omnium aliorum agendi modum. Adhaerere veritati propter personaliter perspectas rationes et gratiam Dei *libere*¹⁶ petitam et acceptam, hoc est positive *vera*¹⁷ libertas religiosa.

Gaudendum est de tali exigentia profundioris et magis personalis convictionis et adhaesionis in re religiosa. Nam, ut aliquis Patrum ante aliquot dies in hac aula sapientissime dixit: « Fides est tanto magis genuina scil. christiana et catholica, quanto magis libera et personalis in sua adhaesione ad Deum et ad Ecclesiam ».

Sed laici in suo apostolatu de hac mentalitate moderna rationem habeant. Non ut ludi magistri doceant. *Veritatem non ex cathedra proponant*.¹⁸ Sed in dialogo. Homines nostri temporis a laicis catholicis adiuvantur in quaerenda veritate, in progressivo modo scrutandis et appetendis divitiis Christi. Apostolus modernus ministrat et conscientiis inservit ut ipsae personaliter addiscant cogitare, invocare lucem Spiritus Sancti, interrogare Ecclesiam, pie audire Iesum Christum loquentem in Scriptura et traditione.

Homines nostri temporis non volunt tractari ut pueri. Hoc non solum valet de aetate adulti sed etiam de iuventute.

Prae oculis habendus est summus influxus quem iuventus hodierna in mundi cursum exercet. Iuventus non *est solum*¹⁹ spes temporis futuri; praesentis temporis iuventus persaepe dirigit eventus, rebelliones suscitatur, gubernia evertit, suam voluntatem imponit. Sed optima pars iuventutis nostrae etiam ipsa vult sua persona et suis viribus, saepe relicta patria, humanitati inservire, et statum vitae socialis et culturalis magis humanum, magis christianum reddere.

De his quoque laici adulti rationem habeant. Ne cupiant iuventutem hodiernam *manuducere*²⁰ ut infantes. Iuventutem adiuvent ut iuvenes ipsi suam propriam responsabilitatem videant et assumant, ut personaliter ex propria convictione fidei et Ecclesiae firmiter adhaereant, ut ipsi libera voluntate fiant apud suos coetaneos apostoli Iesu Christi.

Optima methodus pro tali formatione describitur in schemate n. 7. *Dicitur*²¹: « homines...

Moderator: Vis concludere, faveas.

Orator: (prosequitur) « homines et res aspicere, iudicare, agere lumine fidei ».

Haec methodus « videre, iudicare, agere » initio huius saeculi introducta est in Iuventute Operaria Catholica et nunc magno cum fructu



in fere toto orbe catholico applicatur in Actione Catholica specialisata ...²². Dixi.

In textu scripto tradito: ¹ acuitate. ² deest. ³ deest. ⁴ deest.
⁵ apparet. ⁶ deest. ⁷ eveniunt. ⁸ deest. ⁹ retia. ¹⁰ deest.
¹¹ Domini. ¹² Christi. ¹³ deest. ¹⁴ et. ¹⁵ quantumcumque. ¹⁶ con-
scie. ¹⁷ deest. ¹⁸ Veritas non est proponenda quasi ex cathedra. ¹⁹ tantum
est. ²⁰ educare. ²¹ pag. 9, n. 7, lin. 30. ²² Quae supra diximus de obser-
vantia in apostolatu moderno, non contradicunt iis quae in schemate affirmantur de
ambitibus vitae (milieu de vie) et de aliis structuris. Haec optima esse censeo.
Liceat tamen in fine quaedam dicere de modo quo etiam hic ratio habenda est
de libertate religiosa. 1. Negative: Homo est ens sociale, profunde dependens
de spiritu qui in structuris socialibus viget. Libertas religiosa exigit ut homo non
cogatur ad continuum heroismum adhibendum si vitam ducere vult iuxta suam
personalem persuasionem et suam conscientiam. Ideo a laicis adiuvandum est ne
fiat victima ambitu vitae in quo libertas religiosa impossibilis redditur. 2. Posi-
tive: Ex exigentiis positivis libertatis religiosae sequitur quod istae institutiones
non « paternalistice » vel « protectionistice » concipiendae et exstruendae sunt.
Si tantum lege vel voluntate superiorum statuuntur, progrediente cultura, minus
ac minus aptae erunt ad tuendam moralitatem et religionem hominum modernorum.
Quid leges sine moribus? Hac in re laici apostolici non solum curare debent
ut structurae favorabiles obtineantur, sed pariter ut ab ipsis hominibus libere
et personaliter exigantur, constituentur et serventur. Ad hunc scopum obtinendum
laici apostolici fovere debent positivam collaborationem omnium qui in determi-
nata structura vivunt: catholicorum, christianorum, omnium hominum qui sunt
bonae voluntatis.

3

Exc.MUS P. D. BLASIVS D'AGOSTINO

Episcopus Vallensis in Lucania

Venerabiles Patres,

Schema *de apostolatu laicorum*, de quo discussio habetur, mihi quoad substantiam placet, sed venia ...¹ quasdam animadversiones faciendi concedatur.

1. Argumentum « De apostolatu laicorum » quam opportunum complementum est schematis *de Ecclesia Christi* et praesertim consecutionem capituli « de populo Dei ».

Cum Dei populus pars integrans est Ecclesiae Christi, necessitatem ac obligationem vivendi cum Ecclesia et per Ecclesiam considerare debet nec retinere potest, se ad cooperandum in missione salvifica Ecclesiae adstrictum non esse: in illa missione scil. quae supremam legem ipsius Ecclesiae per voluntatem Christi constituit.



Notum est quod propter effectum laicismi qui usque a saec. XVIII mentis habitum hodiernae societatis vitiat et sensum Ecclesiae in animis mortificat, populus christianus ad Ecclesiam Christi quasi extraneum se agnoscens, minime dignitatem sentit de collaboratione praestanda in apostolica Ecclesiae operositate ut opus Christi in terris continuare possit pro animarum salute.

Nunc officium huius Sacrosanctae Synodi hoc est: errorem laicismi firmiter repellere et necessitatem apostolatus pro omnibus Ecclesiae membris solemniter proclamare.

Haec vere magna et fructuosa *novitas* quae e laboribus Concilii nostris temporibus refulgere debet: cum Ecclesia Christi a sacra hierarchia et a populo Dei constituatur, oportet quod fideles omnem negligentiam superent, egoisticam a munere apostolico absentiam vincant, et *non tantum*² dignitatem ac necessitatem *sed*³ grave officium cum Ecclesia adlaborandi in salute animarum, vivide sentiant!

Quapropter humillime peto ut in nostro schemate clare et sufficienter *de fundamentis theologicis* circa apostolatum loquatur ita ut animo fidelium firma persuasio de obligatione opus praestandi in apostolica operositate inhaereat.

Si huiusmodi persuasio debilis est, aut in animo non radicatur, semper membra passiva in Corpore Christi manebunt...⁴.

2.⁵ Cum vocatio ad apostolatum, ex vocatione christiana exurgens, participem facit fidelem in missione Ecclesiae salvifica, satis certum est quod cooperatio apostolica ex parte fidelium adaequata formatione indiget, ita ut problema de formatione in apostolatu tamquam principium considerari debet.

Sicut strenuus miles non datur nisi per firmam disciplinam, ita dicendum est de milite pro Regno Christi.

Schema propositionem habet quae maximi momenti est, in qua adfirmatur quod cum vocatio ad apostolatum ad essentiam ipsam pertinet vocationis christianae, omnis educatio christiana includat necesse est formationem quoque ad apostolatum, quia non datur apostolus si saltem bonus christianus non habetur.

Sed de formatione ad apostolatum nunquam satis! — Apostolatus christifidelium; quamvis plurima varietate gaudeat et in variis societatis campis exerceatur, semper prae se fert cooperationis dignitatem membrorum mystici Corporis in actione Christi, quapropter collaboratio instrumentalis est ad opus maxime divinum quod est — iuxta verba S. Gregorii — sanctificatio ac animarum salvatio.

Ergo schema necesse est quod hanc veritatem clarissime dicat et



hodiernae societati, quae naturalismo graviter laborat, firmiter proclamet quod « consecratio mundi » per redundantiam vitae interioris fieri tantum potest.

Qui apostolus esse optat, de Christo et cum Christo intime vivere debet, quia non homo sed Christus est qui sanctificat et qui salutem affert.

Talis formatio seu talis vita non datur nisi a sacerdote qui dispensator est mysteriorum Christi. Quapropter enixe rogo ut in schemate haec veritas fiat rata ita ut prae oculis semper persuasio habeatur quod sortes apostolatus laicorum non in persuasibilibus humanae sapientiae sed in manibus nostris sacerdotalibus sistunt.

3.^o Schema de variis apostolatus formis loquitur et sicut videtur, omnes formae in pari consideratione tenentur.

Utique! Omnes associationes apostolatus recte aestimandae sunt, quia omnes cooperantur in bonum. Sed, meo humillimo iudicio, Actio Catholica particulari consideratione digna est cum pro se specialem naturam et quandam officialitatem ferat.

Excimus relator in sua optima relatione scripsit quod materia de Actione Catholica maximas praebet difficultates. In hoc convenire possum sed mihi liceat adnotare quod thesaurum magisterii Ecclesiae habemus ex quo lucem attingere possumus et difficultates solvere.

Prae oculis, *venerabiles Patres*,⁷ documenta habeantur quae Pontifices nostrae aetatis circa Actionem Catholicam exararunt.

Revocare liceat definitionem quam Pius XI, felicitis recordationis, de Actione Catholica dedit: « Partecipazione del laicato all'apostolato gerarchico della Chiesa »; — verba quae ad hoc Pius XII, felicitis quoque recordationis: « L'apostolato dell'Azione Cattolica è apostolato principe... apostolato che fa del laico un quasi ministro di Cristo »; et postremo quae Paulus VI, feliciter regnans, in allocutione ad Delegatos Episcopales pro Actione Catholica, elapso anno, dixit: « È innegabile che l'Azione Cattolica appartiene alla costituzione della Chiesa ».

Haec Romanorum Pontificum locutiones clare ostendunt quod Actio Catholica cum tam stricte directam ac specialem collaborationem hierarchiae praebeat et cum immediate ab eadem hierarchia pendeat, a qua mandatum recipit, prioritatem super alias apostolatus formas gaudet et christifidelibus tamquam forma qualificata seu officialis praebetur.

De hoc schema nostrum quasi silet... Quapropter peto ut caput de formis associativis refundatur et forma de Actione Catholica iuxta specificum magisterium Ecclesiae enucleatur ut fideles quamplurimi in Ecclesia, sub ductu episcoporum hanc pacificam militiam constituent non



tantum ad errores repellendos sed praesertim ad regnum Dei, per Evangelium Christi, in nostra societate promovendum. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: ¹ tamen. ² deest. ³ ac. ⁴ Ad hanc persuasionem fovendam peto quod in prooemio, in lin. 5 non tantum de dignitate ac necessitate apostolatus loquatur, sed statim de munere ipsius apostolatus pro omnibus christifidelibus expressa mentio fiat. 2. Schema (in n. 2 pag. 6) de apostolatu ab omnibus et singulis exercendo agit et speciali modo de apostolatu orationis et mortificationum loquitur et mentionem de apostolatu acto per testimonium vitae integraliter christianae disertam facit. Mihi tamen adnotare liceat quod christifideles apostolatum agere debent non solum per classicas formas quae ab ascetica christiana probatae sunt, i. e. italico sermone « apostolato della preghiera, della sofferenza, del buon esempio, della parola », sed etiam per competentiam professionalem in variis societatis campis, ita ut christianus bonum fermentum sit sive per sinceram virtutis professionem sive per technicam professionalem capacitatem quae simul cum virtute eum apud omnes dignum particulari aestimatione reddet. Ideo propono quod in pag. 6, in lin. 30 post verba « probitate morali in omnibus negotiis... » locutio adiungatur: « et competentia professionali ». ⁵ 3. ⁶ 4. ⁷ deest.

4

EXC.MUS P. D. STEPHANUS BARELA
Episcopus Czestochoviensis

Venerabiles Patres,

Schema *de apostolatu laicorum* in genere valde placet propter claritatem in expositione theologiae laicatus, et maxime, quia docet ius et officium ad apostolatum ex ipsa christifidelium unione cum Christo oriri, inquantum per sacramentum Baptismatis et Confirmationis in missione Ecclesiae active participare possunt et debent. Placet etiam ipsa missio apostolatus laicorum et formationis apostolicae ad vitam vere christianam in ordine sociali instaurandam.

Quasdam tamen animadversiones proponere audeo, ut textus schematis adhuc magis perficiatur:

1. Desiderantur in nostro schemate plures textus ex S. Scriptura et ex Patribus. Agitur enim hic non de solo actu iuridico sed de constitutione pastorem doctrinam Ecclesiae proponente. Manifestum est autem, quod in expositione doctrinae christianae ex principiis revelatis a Deo procedere oportet. In nostro schemate habentur quaedam verba S. Scripturae, sed potius per modum ornamenti quam fundamenti, excepto forsitan cap. III ubi quinquies S. Scriptura citatur. In Biblia non desunt textus, qui in capite « de laicorum vocatione apostolica » bene



applicari possunt. E. g. iam psalmista frequenter omnes monet: « Annuntiate inter gentes gloriam eius, in omnibus populis mirabilia eius » (*Ps* 95, versus 3 - cf. *Ps* 9, *Ps* 104¹). Similiter S. Paulus Corinthios monet: « Potestis enim omnes per singulos prophetare: ut omnes discant, et omnes exhortentur » (*1 Cor.* 14, 31). Ad Galatas vero scribit: « Vos, qui spirituales estis huiusmodi instruite in spiritu lenitatis » (6, 1). Pariter omnes fideles Colossenses invocat: « in omni sapientia docentes et commonentes vosmetipsos » (3, 16).

2. Omittendae sunt quaedam propositiones speculativae et dubiae, e. g. verba in lin. 1, pag. 6, ubi legitur: « vocatio christiana natura sua vocatio quoque est ad apostolatum », et similiter linn. 5 et 6 pag. 7, ubi dicitur, quod « apostolatus laicorum ad essentiam pertinet testimonii Ecclesiae » vel quod « vocatio ad apostolatum ad essentiam ipsam pertinet vocationis christianae ». Huiusmodi propositiones non videntur certae, quia non semper verificantur. E. g. perpetuo amentes baptisati et pueri morientes post baptismum ante adeptum usum rationis, certe a Deo ad Ecclesiam sunt vocati, non vero ad praedicationem et apostolatum. Si vocatio ad apostolatum ad essentiam vocationis christianae pertineret, sequeretur quod huiusmodi infantes et amentes, licet sint baptisati, non essent ad Ecclesiam vocati. Ideo videtur quod vocatio ad apostolatum ad essentiam vocationis christianae non pertinet ut dixit iam em.mus card. Browne ...².

Corrigenda est etiam propositio in pag. 6, lin. 15, scil.: « Hic apostolatus laicorum tantum se extendit, etiam ad res temporales, quantum ipsa missio Ecclesiae, iis solum muneribus exceptis, quae potestatem ordinis vel iurisdictionis exigunt ». Ex una enim parte apostolatus Ecclesiae, eiusque missio est universalis — Christus quippe dixit: « docete omnes gentes » — apostolatus vero laicorum non potest esse nisi particularis, scil. in determinato loco et tempore; unde maior est extensio missionis Ecclesiae quam apostolatus laicorum; ex altera vero parte factis historicis patet, plures sanctos, qui ad clerum non pertinebant, suum apostolatum etiam in his muneribus exercebant, quae iurisdictionem et ordinem exigunt, non quidem eo sensu ac sibi hanc iurisdictionem vindicarent vel ordinem usurparent, sed prout exemplo propriae sanctitatis vel efficaci persuasionis in eos influebant, qui hoc sacro ordine vel iurisdictione gaudebant (e. g. S. Hedvigis, S. Stephanus rex Hungariae, S. Catharina Senensis). Ideo apostolatus laicorum in huiusmodi munera, quae ordinem vel iurisdictionem exigunt, suum influxum aliquando extendit, licet haec munera directe non exercent.

3. Enixe rogamus, ut commissio, redactione huius schematis onerata, in n. 21, pag. 18, post verba, quae sic sonant: « ut catholici coope-



rentur cum aliis, christianis et non christianis, in vitae quotidianae actionibus et in organisationibus sive nationalibus sive internationalibus » addere velit quaedam verba explicativa de coexistentia et a fortiori de huiusmodi cooperatione christianismi cum atheismo ad aliquos fines proximos bonos, immo necessarios pro natione, si tamen huiusmodi fines ad ultimum finem omnino perversum, scil. ad destructionem omnis religionis ordinantur, et quidem ita, quod christifideles huic ordinationi efficaciter resistere nequeunt. Res est magni momenti. In talibus enim conditionibus tertia pars omnium christianorum, immo dimidium totius generis humani invenitur ...³.

Unde humillime *rogo*⁴ ut Sacrosanctum Concilium claras normas de huiusmodi coexistentia et collaboratione cum atheistis in nostro schemate ponat.

4. et ultimo. Saltem in exhortatione finali dicendum est aliquid de Regina omnium Apostolorum, ergo etiam et laicorum; Maria enim, utpote Mater Ecclesiae, in ipsa vivit, lucet et virtutem Spiritus Sancti illi implorat, opera illius corroborat, et specialiter in formatione apostolorum nostri temporis similem influxum exercet ac in Coenaculo, adveniente Spiritu Sancto. Hunc influxum Reginae Apostolorum in apostolatuum laicorum *possumus experire omni anno, iisque diebus quibus tanta millia iuvenum ex omnibus civitatibus et longissimis regionibus Poloniae*⁵ ad nostrum Sanctuarium Mariale conveniunt, ut hic apud Regynam Apostolorum ...⁶, suam fidem corroborent, spem augeant, et caritate impulsivi vere *apostolatuum*⁷ fortiter exercent ...⁸.

Ex cultu igitur mariano hi iuvenes laici virtutem ad suum apostolatuum hauriunt et in bono proposito perseverant. Unde humiliter rogo, ut saltem in fine nostri schematis addatur exhortatio, ut etiam laici in suis laboribus ad Mariam, Matrem amantissimam et Apostolorum Reginem concurrant, illamque imitare conentur sive in vita privata sive in vita publica. Dixi.

In textu scripto tradito: ¹ Ps. 9, 12; 104, 1. ² Insuper non videtur opportunum, ut constitutio tam pastoralis sicut haec, determinet, utrum aliquid ad essentiam quandam pertineat vel non pertineat, cum quaestio haec nimis subtilis est. ³ Propter defectum explicitae doctrinae ab Ecclesia sollemniter definitae de liceitate huiusmodi directae vel indirectae cooperationis, etiam passivae per ipsum silentium, plures milites putabant superioribus oboediendum esse, etiam quando praecipiant occidere homines omnino innocentes. Unde durante ultimo bello millia millium infantes innocentes crudeliter occiderunt, mandatum sui ducis exsequendo. Silentium Ecclesiae in materia liceitatis cooperationis huiusmodi, etiam nostris temporibus christifideles deciperet, eosque in periculum gravis erroris exponeret, praesertim in his regionibus quae ab atheistis reguntur.



⁴ rogamus. ⁵ ego, utpote episcopus Chestochowiensis, quasi experimentaliter sentio, e. g. quando tanta millia iuvenum video, qui immemores periculorum quibus exponuntur, omni anno, etiam ex longinqua Varsavia pedestres. ⁶ quam Ecclesia Reginam Poloniae vocare permittit. ⁷ heroicum apostolatam absque ullo inimicorum timore. ⁸ Hoc anno die 15 augusti millia fidelium ad nostrum sanctuarium venerunt. Durante peregrinatione adolescentium, omnino spontanea, et absque conductione ex parte cleri, cui prohibetur huiusmodi manifestationes procurare, iuvenes, Ss.ma Eucharistia enutriti, ardenti corde Ss.mae Reginae Poloniae promiserunt, omnia sustinere omnemque conatum facere ut unusquisque et tota Polonia, in novo suo Sacro Millennio propinquante, Deo semper fidelis remaneat.

5

EXC.MUS P. D. CAROLUS WOJTYLA
Archiepiscopus Cracoviensis

Venerabiles Patres, Fratres et Sorores,

1. Schema *de apostolatu laicorum*, quod in hac sessione Concilii nobis proponitur, placet multo magis quam anterior eiusdem elaboratio. Et hoc 1. propter suam in comparatione ad *priorem*¹ textum breviter, 2. autem propter modum materiam suam tractandi. Apostolatus laicorum praesentatur *hic*² in sua universalitate tamquam id, quod cum fide viva cuiusvis christiani est *coniungendum*³ — et non solum in forma associativa, sed etiam aliter exerceri potest. Hoc autem est magni momenti pro laicis in iis regionibus, ubi nulla forma associativa apostolatus existit neque existere potest, laici autem existunt — apostolico immo spiritu imbuti. Si formae associativae unice *vel nimis extollentur*,⁴ remanerent ipsi quasi non-vocati. Et hanc eventualitatem praesens schema feliciter evitat ...⁵. Oporteret forsitan etiam naturale ius ad apostolatam exercendum invocare, quod iuribus fundamentalibus cuiusvis personae humanae coincidit, cum omnis homo ius habet ad veritatem cognoscendam eamque aliis — sive verbo, sive scriptis, sive opere — transmittendam.

Schema loquitur de apostolatu laicorum tamquam ab initio Ecclesiae existenti — et hoc est verum. Oportet nihilominus, ut apostolatus ille possideat mentes multorum, qui magis passive quam active membra Ecclesiae sese putant — immo, loquendo de Ecclesia de hierarchia tantum, de sacerdotibus et religiosis, non tamen de seipsis loqui videntur. Apostolatus laicorum oritur in dilectione Ecclesiae tamquam Matris communis et in responsabilitate pro omnibus bonis, quae ipsi sunt pro-



pria. Excluduntur tamen ab eo hi omnes, qui fines heterogeneos, sub fictione « apostolatus », inquirere volunt.

2. In proponenda doctrina de apostolatu laicorum et in dandis de hac re instructionibus unum deficit, quod hic videtur magni esse momenti. Paulus VI, feliciter regnans, in sua prima Encyclica multoties loquitur de dialogo, qui constituit medium apostolatus contemporanei. Loquitur etiam in fine de dialogo « intra Ecclesiam ». Principium talis dialogi debet applicari praesertim in schemate nostro, secus doctrina eius non esset adaequata. Videtur praeterea, quod principium dialogi, prout a Paulo VI intelligitur, est pro apostolatu laicorum aliquid constitutivum. Dialogus enim in Ecclesia descendit *ad illum dialogum*,⁶ quem tota Ecclesia et omnis christianus ducit cum Patre Aeterno per Christum Filium Dei in Spiritu Sancto. In relationibus intra « domesticos fidei » dialogus designat mutuuum contactum, in quo ambo vel plures sibi invicem in omni sinceritate aperiuntur. Contactus talis — sine ulla offensa debitaе obedientiae et reverentiae erga auctoritatem ecclesiasticam — revera apostolicos potest afferre fructus. Melius enim in illo apparere valent « investigabiles divitiae Christi » ...⁷, quae in omnibus membris Corporis mystici vigent, quibus autem clerici laicos et laici clericos ditiores in Christo praestare possunt. In hoc autem constituitur missio apostolica Ecclesiae ad intra, quae missionem ad extra praeveniat ipsique praesupponatur oportet. Apostolatus laicorum partem habeat in missione Ecclesiae hoc ordine.

Loquendo de dialogo « ad intra » tamquam de medio apostolatus oportet, ut prae oculis habeatur ille praesertim dialogus, qui omni tempore instituitur inter generationes humanas in mundo et in Ecclesia inter seniores scil. et iuniores. In schemate proposito non enucleatur sufficienter ius et simul debitum iuvenum in apostolatu laicorum. Ille est ambitus, in quo principium dialogi bene intellectum videtur forsitan maxime applicabile.

Ex incessanti dialogo generationum in Ecclesia oritur semper necessitas accommodatae renovationis ipsaque renovatio accommodata.

Concipiendo integrum schema *de apostolatu laicorum* magis in sensu dialogi ad mentem Pauli VI, melius correspondemus ipsi statui quaestionis eiusdem. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: ¹ anteriorem. ² deest. ³ coniunctum.
⁴ extollerentur. ⁵ Vocati sunt omnes. ⁶ ab illo dialogo. ⁷ (Eph. 3, 8).



6

EXC.MUS P. D. ALOISIUS BETTAZZI
Episcopus tit. Thagastensis, aux. Bononiensis

Venerabiles Patres, fratresque omnes carissimi,

Laudandum videtur schema ob prospectum rerum quem aperit, perficiendum tamen. Vitari debet periculum sistendi in momento praesenti sicque contrarium sortiri ac quaerebatur, seu interclusio evolutionis in conceptu et in praxi, quae in hac materia tam instabilia adhuc manent. Periculum vitatur insistendo in dogmate: quin repetantur, attamen semper prae oculis habeantur quae dicta sunt in constitutione *de Ecclesia*.

Prius: ibi lucide ac diserte in luce positum est fundamentum vitae christianae et apostolatus esse characterem sacramentalem baptismi et confirmationis: quaevis ergo hierarchiae invitatio ad peculiarem collaborationem supponit hanc originariam vocationem eamque sartam tectamque servare debet. Quod maxime est confirmandum, sive ut omnes christifideles ad officium apostolatus evocemus, sive ut ipsis laicis, ut aiunt, organisatis intrinsecam radicem et naturam revocemus eorum cum apostolatu hierarchico collaborationis: agmen sint laici vere spirituale, supernaturali conscientia et libera firma adhaesione praeditum. Cuius collaborationis non nimis definiantur structurae, sed, post generalia lineamenta, liberum maneat hierarchiae sequi pedetentim actionem Spiritus Sancti in Ecclesia, ergo in laicis ipsis. Laicus est et ipse Ecclesia, ergo nequit Ecclesiae contraponi (quod iure merito in verbis schematis iam emendatum est, adhuc perfectius in stylo emendandum erit) ipse laicus enim debet — sub ductu quidem sacrae hierarchiae — invenire et in actum deducere testimonium sanctitatis et apostolatus quod suo cuique statui correspondet (non repeto quae optime *iam heri dicta sint* ¹) quasi, ubi numerus cleri sufficiens esset atque omnes provinciae vitae humanae ab ordine religioso alienatae non essent tunc minueretur possibilitas apostolatus laicorum; clarius inde affirmandum est ipsam familiae sive professionis sive vitae socialis spiritualitatem a laicis ipsis — sub ductu hierarchiae — experiendam ac delineandam esse. Apostolatus laicorum, ipsa laicorum vita spiritualis nequit esse transpositio et quasi adaptatio vitae religiosorum (et haec est fortasse causa cur spiritualitas vitae coniugalis et familiaris tam neglecta fuerit!), sed actualisatio consecrationis sacramentalis personalis, augmentum gratiae propriis muneribus christiane exercendis adeptum: sic tantum — quod S. Paulus Corinthios alloquens ominabatur — « Deus erit omnia in omnibus » ...².



Alterum est: quod exc. mus Duval quasi tetigit sed omnino fusius enucleandum, magis urgendam esse indolem communitariam apostolatus; neque tantum ob maiorem efficaciam activitatis foederatae, sed ob intrinsecam naturam Ecclesiae eiusque activitatis: oportet ut christifidelibus clare pateat naturam vitae christianae esse communitariam, neque prius requirendam esse formationem, ut ita dicam, individualement, cui addi possit, pro viribus et facultatibus, aliquis collectivus color; sed vitam et apostolatam christianam esse natura sua communitaria, quasi collegialia; qui apostolatus, non nisi ex imperfectione sive ex necessitate reducit ad individualement, neque unquam potest, saltem in spiritu, communitatis vinculum negligere. « Unum corpus, unus spiritus vocati sumus » — ait S. Paulus ...³. Corpus non oritur coagmentatione partium praeesistentium, sed ipsae partes veluti efformantur in et ex corporis structura. Quae communis ratio etiam in exercitio apostolatus, immo in eius praeparatione effulgere debet (hoc sub n. 3 ponendum) sacerdos discrete mitiget et compleat quae laici ipsi, spiritu christiano et apostolico imbuti, in contextu propriae experientiae humanae inveniunt et in actum deducunt. Spiritus igitur colloquii (seu « dialoghi ») qui tantopere Summo Pontifici nostro cordi est sic commendabitur, sive inter domesticos fidei, sive ad extraneos.

Quae omnia mihi videntur ex duobus fontibus — seu ex duobus scaturiginibus — efflui:

Ex natura quidem Ecclesiae, prout Spiritus Sanctus eam voluit, eamque in hoc Sacrosancto Concilio illustrat: Ecclesia est mysticum Corpus. Perplexitates quae oriuntur circa iuridicos aspectus nolunt certe hos aspectus eliminare (immo, etiam in hac provincia concrete indicanda erit positio horum apostolorum in Ecclesia hierarchica, sicuti etiam sacerdotum laicos assistentium relate ad ceteros sacerdotes qui sua definita fortuna gaudent in Ecclesia), volunt tantum eos *aspectus in*⁴ luce et ad suum proprium locum reponere: est enim apta et ineluctabilis structura organismi quod in terra vivere debet, quae structura inservit ut visibiliter exprimat et crescat intima et mystica substantia quae realem et aeternam naturam Ecclesiae constituit. Sed in hac « enosis sarkikè kai pneumatikè », ut Ignatius ait (*Smirn.* 12, 2) spiritualis praevalere debet et carnalem moderari. Inde mihi videtur prioritas apostolatus specifici laicorum eiusque natura communitaria exoriri ex iis quae hucusque in Concilio dicta sunt vel quae dicenda erunt: ex sacramentalitate et collegialitate ordinis episcopalis; ex praevaletia libertatis religiosae (libertatis substantialis, dico, quae in maturitate conscientiae et generosae adhaesionis veritati cognitae consistit, quaeque, supernaturali veritatis lumine illustrata et divina gratia roborata, insigne extat instru-



mentum authentici et personalis apostolatus); ex ipsa missione Ecclesiae pauperum, Ecclesiae pauperis spiritu, quae, quamquam inventa humani progressus et culturae non spernit, tamen non in his innititur, sed in suis sacramentalibus divitiis, seu in praesentia Christi in animis iustis per caritatem.

Hoc expeti videtur ex ipso sensu historiae: conscia et voluntaria participatio uniuscuiusque hominis ad responsabilitatem corporis cuius est membrum, fit amplificatio personalitatis, possibilitas profundioris christianisationis: hodie homines non respuunt quod sint filii nostri, *ut dictum est*,⁵ sed recto iure petunt ut tractentur sicut filii maiores nati et responsables. Quod si queramus non raro laicos impares esse fructuoso testimonio christiano, libenter consentiamus hoc aliquando enasci ex eo quod nos, illis non fidentes, nimium tutelam nostram protraxerimus: illos hortemur, Patres, illos incitemus, et hoc in ipso schemate obtestemur — non solum formulis, sed in ipsa conceptuum enodatione — ut laici suas responsabilitates suscipiant, suisque muneribus fungantur, non sine errorum alea fortasse sed cum maturioris personalitatis spe: in hac superiori synthesi responsabilitatis personalis et collectivae solidaritatis stat intima vis apostolica insertionis in mysticum Christi Corpus.

Hanc doctrinam, hanc inspirationem laici omnes, magna cum trepidatione expectant, praesertim, nec sine fremitu, iuvenes: liceat vero mihi, ex his ut ita dicam millenariis sedibus, in memoriam humiliter revocare duas tertias partes generis humani esse iuniores omnibus nobis, venerabiles Patres; ipsi *ut dictum est*,⁶ nisi iam hodie, crastina die quidem, et fortasse summo mane, erunt rectores mundi huius, communisque sensus formatores. Ipsi ergo nos quoque adiuvent ut modum cogitandi et loquendi, fortasse stylum quoque apostolicum inveniamus mundo nostri temporis tam velociter maturescentis in dies accommodatiorem. Instanter ipsi nobiscum expectant ut nova Commissio post-Conciliaris, etiam ex laicis evidenter confecta, hanc inspirationem fidenter sequatur.

Ne formidemur, Patres: forsitan aliquid ex pacificis nostris personalibus opinionibus mutare debebimus: sed hic est locus, hoc est momentum, ut, Spiritu Sancto freti, mundo offeramus perennis Ecclesiae iuventutis veram imaginem.

Humillime, in quantum potui, dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: ¹ Exc. Charbonneau: non sufficienter exprimitur prioritas exercendae vitae christianae in mundo: cf. pag. 5, lin. 16). ² (1 Cor. 15, 28). ³ (Eph. 5, 21). ⁴ in sua. ⁵ deest. ⁶ deest.



Exc. MUS P. D. OWEN McCANN
Archiepiscopus Capetownensis

Venerabiles Patres et alii dilectissimi in Christo,

Schema hoc quoad substantiam placet.

1. Recognoscendi sunt labores magni Commissionis, non obstantibus obstaculis et vicissitudinibus, necnon difficultate quae in ea constat ut prima vice materia haec in Concilio Oecumenico, et igitur in gradu universali (vel ut dicitur anglice, "on global scale") tractetur. Grati animi debemus esse pro omnibus quas fecerunt. Nihilominus licet mihi paucas animadversiones proferre.

2. Schema, uti stet, mea humili opinione, non dat istam inspirationem quam expectabimus. Etenim fideles nostri, et etiam nos episcopi et nostri coadiutores, i. e. sacerdotes, attendaverunt « Magnam Chartam » pro apostolatu laicorum. Voluimus documentum quod impetum maximum daret apostolatu isto. Forsitan est quaestio linguae quia adhuc difficile est exprimere omnes ...¹ notas quas in mente *forsan*² habuimus. Desideratur ergo clara explicatio istius apostolatus et quomodo in praxi applicetur.

Igitur melius tractare debet schema nexum inter schema *de Ecclesia*, et praesertim capitulum de laicis, et apostolatum laicorum. *Credo quod*³ resumenda sunt *in schemate nostro*⁴ principia istius capituli in prooemio in lineis generalibus.

Notandum est quod tantum una vice, ni fallor, expressio « Populus Dei » utitur, sed hoc est fundamentum totius activitatis apostolatus laicorum. Propono ergo quod in prooemio et non in ultimo paragrapho, ponetur invocatio seu invitatio fidelium ad participationem in apostolatu, simul cum eis quae dicta sunt in capitulo « de laicis » in schemate *de Ecclesia*.

3. Mihi videtur quod fortius exprimendum est unitas quae existere deberet inter hierarchiam, i. e. episcopos et sacerdotes, et fideles in apostolatu. Igitur in par. 18 insertum esset alia comma quae loquitur de ducatu, *vel ut dicitur in lingua anglica*⁵ ("Leadership") episcopi et sacerdotum eius. Quo ducatu fideles respondere debent cum omni sensu devotionis ...⁶ et oboedientia. Ex altera parte, *tamen*⁷ existere debet colloquium seu dialogum inter hierarchiam et fideles de realisatione vel implicationibus practicalibus apostolatus.

4. Mihi etiam videtur quod recognoscendum est, et id in schema exprimere deberet, maturitas et sensus responsabilitatis fidelium. Ex eis



enim sub ducatu cleri venire debent activitates apostolicae modo spontaneo in formis magis adaptatis nostris temporibus. Igitur propono quod sensus paragraphi relationis em.mi praesidis in quo loquitur de fiducia in laicis incorporaretur in schema. Magni momenti est ista fiducia quam nos debemus habere in nostris fidelibus qui participant in apostolatu. *Quia*⁸ praesertim quoad vitam publicam apostolatus organisatus debet eos praeparare ad participationem in rebus publicis prospicientibus ad bonum commune.

5. Finaliter mihi videtur quod schema loqui debet de praeparatione necessaria sacerdotum ut munus perficiant sive directoris sive assistentis in campo apostolatus laicorum.

Sacerdos est *enim*⁹ cor istius apostolatus. *Sed*¹⁰ schema nihil dicit de ista praeparatione, *quod*¹¹ est res magni momenti. Non tantum in seminariis sed postea in ambitu pastorali necesse est quod bene cognoscuntur modi dirigendi apostolatus laicorum et varii methodi eum implendi. Sacerdotes nostri *ergo*¹² indigent adiutorium in conducendos laicos modo optimo ad instaurando omnia in Christo. Dixi.

In textu scripto tradito: ¹ tonos et. ² deest. ³ deest. ⁴ deest.
⁵ deest. ⁶ (Loyalty). ⁷ deest. ⁸ deest. ⁹ deest. ¹⁰ deest.
¹¹ sed. ¹² deest.

Secretarius generalis: Communico Patribus exitum suffragationis factae super integrum cap. III schematis decreti *de Oecumenismo*:

Suffragati sunt Patres	2.169
Dixerunt <i>placet</i>	1.843
<i>non placet</i>	24
<i>placet iuxta modum</i>	296
Suffragia nulla	6

Ergo cap. III est in congregatione generali approbatum.

8

EXC.MUS P. D. IGNATIUS ZIADÉ
Archiepiscopus Berytensis Maronitarum

Venerabiles Patres, carissimi Observatores et Auditores,

Hoc schema in genere optimum est ac per se probat cooperationem auditorum laicorum in sua elaboratione fuisse tam utilem quam necessariam. Aliquas tamen emendationes liceat proponere ut scopus eius actuosius attingatur.



1. Ad n. 19, pag. 16, lin. 26. Cum aliquando sunt episcopi ac sacerdotes qui nondum fiduciam plenam dant laicis in labore apostolico, opportunum esset, post verba « in aedificatione Ecclesiae » addere hoc: « laicos non esse auxilia pastoribus utenda sed speciales partes habere ».

2. Vitata quidem repetitione cum cap. IV constitutionis *de Ecclesia*, revocandum est in quibusdam numeris fundamentum doctrinale laicorum apostolatus, ne aestimetur hoc schema nisi pragmaticum ac proinde a mente sua genuina deflectat. Sic optatur *allusio ad sacerdotium commune* ut rite perspicatur missio vere ecclesialis tum laicorum tum religiosarum. V. g., pag. 16, linn. 16-22, ita ut missio canonica cum fundamento suo sacramentali clarius connectatur, vel pag. 17 linn. 6-8, ita ut melius appareat quod cooperatio in apostolatu inter religiosos et laicos in re sacramentali conditur.

3. In n. 16 de « Actione Catholica » moneantur responsables generales actionis catholicae ut ministri se habeant coetuum suorum ac ne instaurent mentem *neo-clericalismi* sui generis, nec inter se nec erga alios coetus qui non sunt actionis catholicae stricto sensu.

4. Passim in hoc schemate oporteret dici clarius Ecclesiam mitti *ad servitium Dei et hominum*. Ad servitium Dei, ita ut *liturgia* tum in sacramento tum in caritate totam vitam unificet; ad servitium hominum, ita ut *praestantia pauperum* ad mentem Evangelii ostendatur.

5. Ad n. 12, expressio « *actio caritativa* » auribus hodiernis non bene sonat dum scopus actionis socialis hodie potius ad causas quam ad effectus malorum pertinet.

6. Ad n. 21, in cooperatione cum omnibus christianis aspectus *oecumenicus* magis enucleari potest ad unitatem apostolicam fovendam.

7. In n. 18, pag. 16, lin. 5: deleantur verba « implicite vel » et dicatur: « Nisi explicite consensus accesserit legitimae auctoritatis ecclesiasticae ». *Nam vero*¹ si consensus expressus exigitur non iam fiunt opera inutilia vel nociva. Etenim in n. 14, pag. 13, linn. 26 ss. dicitur « Vitanda tamen est virium dispersio, quae fit praesertim promovendo, sine ratione sufficienti, associationes novas et opera vel retinendo ultra vitam utilem associationes vel methodos olim idoneas ». Quapropter iuxta illud S. Ignatii Antiocheni: « Nihil sine episcopo » agant.

8. In n. 15, pag. 14, loquitur schema de iure condito vel condendo et remittit ad Codicem Iuris Canonici qui est Ecclesiae Latinae ...² et in lin. 11 prosequitur: « Insuper Sacrosancta Synodus mandat ut Commissio ad Codicem iuris canonici recognoscendum ea, quae de consociativis apostolatus laicorum formis in hoc decreto dicuntur in ius condendum recipiat, et ea, quae de associationibus fidelium in iure iam statuuntur, apostolatus Ecclesiae hodiernis necessitatibus accommodet ».



Utinam ut sit unica commissio ex occidente et oriente electa ad unicum Codicem iuris *Ecclesiae catholicae*, ne fiat amplius divisio in *catholica* nec in occidente nec in oriente, speciatim in constitutionibus et decretis Concilii Vaticani II.

Quamobrem rogo ut deleantur verba: « in canonibus septingentis ad septingentos viginti quinque (700-725) (in pag. 14, lin. 4).

Timemus enim ne dicatur schema non agere de Ecclesiis Orientalibus; sicut dixit clarissimus auctor de Motu Proprio *Pastorale munus* non esse pro Pastoribus Orientalibus quia semper se refert ad Canones Codicis Iuris Canonici qui est Ecclesiae Latinae. Dixi.

In textu scripto tradito: ¹ deest. ² (in can. 700-725).

9

EXC.MUS P. D. CAESAR ANTONIUS MOSQUERA
Archiepiscopus Guayaquilensis

Venerabiles Patres,

Schema in genere placet, nam activitates et officia propria laicorum in Ecclesia rite exponuntur et inde locus laicorum in ipsa Ecclesia clarificatur.

Attamen, mihi fas sit quasdam observationes pandere et deinde breviter unum proponere, quod, ut spero, aliquid iuvabit ut melius appareat locus laicorum et sacerdotum in Ecclesia.

Mihi videtur schema non multum ultra activitates et officia apostolica laicorum progredi; mihi videtur non clare pervenire ad vitam spiritualem propriam laicorum; quae vita partim exprimitur in istis activitatibus et ab illis vicissim alitur.

Fatendum est in Ecclesia non adhuc plene clara esse elementa specifica spiritualitatis laicorum.

Forsitan, laici locum suum non adhuc plene invenerunt in Ecclesia, quia usque adhuc defuit adaequatus conatus inveniendi et colendi lineamenta imaginis Christi magis propria laicorum. Ipsa spiritualitas, ut dicam, sacerdotum et religiosorum a laicis proponebatur, tantum deminuta, cum tamen vita laicorum, quam haec spiritualitas debebat et debet sustentare, multum a vita sacerdotum et religiosorum, qui e mundo quodammodo exierunt, multum differat.

Laici immediate intenti sunt in vitam, sic dictam, profanam et conantur ad Deum pervenire per realitates profanas, existimantes has realitates esse pro ipsis media, non impedimenta unionis cum Deo.



Dum sacerdotes et religiosi primarie ad Deum tendimus directe et quasi immediate; laici Dei imaginem, Dei voluntatem et amorem primum in eius creaturis inveniunt et per creaturas generatim ad Creatorem et Patrem pervenire debent et perveniunt.

Adest realitas quaedam et vis spiritualis unionis cum Deo in attentione versus vitam quotidianam et in reflectione laicorum circa ipsam lumine fidei.

Agitur de aspiciendis hominibus et rebus, ut Christus ipse aspiceret, scil., visione plena amoris et desiderii salutis. Agitur de visione quae exigit metanoiam.

Inde apostolus et aliis monstravit verbo et exemplo novam visionem, scil., visionem christianam mundi.

Ipsi pastores multum discere possumus ex cognitione visionis quam apostoli laici de mundo habent.

Summus Pontifex Ioannes XXIII in verbis quae habuit ad militantes Actionis Catholicae inter coetus independentium ex Gallia in Romam peregrinantes quaedam luculenter dixit de « anima apostoli conformis facta Christo, de anima plena Christo per longum Conatum personalis reflectionis et orationis » ...¹.

Inde ulterior necessitas gratiae sacramentis collatae ad roborandum hunc laborem et conatum in revisenda hominis actitudine erga alios homines et res: Sacramenta non substituunt laborem et conatum.

Inde etiam nova necessitas sacerdotum ad adiuvandos laicos sacramentis et consilio in supradicta metanoia et inveniendo proprio loco in Ecclesia Dei. Sacerdotes item adiuvant, non substituunt visionem laicorum de hominibus et de rebus adiunctis.

Inde tandem profundior necessitas Sacrae Scripturae, Verbi Dei, lux et mensura iudicii apostoli. Sacra Scriptura cardo devenit in unione religionis cum vita quotidiana.

En Pius XII, sanctae memoriae, in sua exhortatione ad militantes motus illius apostolici « Rinascita » appellati die 8 novembris a. 1956.

Loquendo de visione et iudicio hominum et rerum ait: « In initio est meditatio Evangelii, meditatio attenta et longa, quae vos capaces facit aspiciendi facta ordinaria vitae quotidianae sub novo aspectu... ». Deinde alibi addit: « Videre et iudicare seipsum et rerum adiuncta, seu inventio personarum et rerum sicuti sunt coram Deo non est possibile nisi gratia Dei: “ Simul ac haec visio habetur ” auditur vox Christi personalem perfectionem suggerendo ».

« Circumspicere mundum visione ipsius Christi — dicit Pontifex — partem habere in sua intentione salvifica, in suo immenso desiderio



redemptionis est quid spontaneum in illo qui vivit in Ipsum et per Ipsum. Et haec fides in caritatem deducetur ».

Tandem, en propositio mea. Includatur in schemate aliqua explicita mentio de spiritualitate laicorum iuxta ea quae dicta sunt. Forsitan haec mentio in fine n. 2 redigenda est. Finis n. 2 sic sonat: « Uno verbo, apostolatus laicorum ad essentiam pertinet testimonii Ecclesiae ». Mentio et ipsa sic, vel aliter sonare potest: « Ille (apostolatus) in fide Creatoris praepriis fundari debet et per creaturas ad Christum Redemptorem ducere ».

Mentio haec vel similis in schemate plane pastoralis incitamentum erit ad ulteriorem conatum clarificationis elementorum spiritualitatis laicorum. Dixi.

In textu scripto tradito: ¹ (L'Osservatore Romano, n. 111, a. 1961).

10

EXC.MUS P. D. ANTONIUS CAILLOT

Episcopus Ebroicensis

Venerabiles Patres,

De apostolatu laicorum loquendo, necessarium mihi videtur sublineare quasdam relationes inter ipsum apostolatum et vitam quotidianam hominum.

1. Momentum vitae in quantum est locus conversionis et testimonii apostolici.

Verbum Dei caro factum est ad salvandos homines, in iis omnibus quae vitam eorum contexunt, et sic vita efficitur pro hominibus iter ad Deum: in ipsa vita, secundum id quod eligunt vel reiiciunt, homines ad Christum accedunt, vel ab eo recedunt. Ut omnes noscunt, actio Spiritus Sancti in corde hominum fines visibiles Ecclesiae excedit, et ad eam multos perducit, qui secundum Deum vivunt, quin illum adhuc agnoscant. Sub influxu interno Spiritus Sancti, vitam rectam ducunt, rationem habentes iustitiae, sinceritatis, fraternitatis et abnegationis suiipsius in bonum aliorum. Vita illorum sic apparet tanquam petra super quam aedificabitur Evangelium; quinimmo, non desunt inter eos qui iam ex gratia Christi vivant, antequam eum quoad nomen cognoscant, sicut paralyticus, qui auxilium exspectabat, ut ad piscinam salutis perveniret. Inconscie exspectant, non quidem « propagandistas », sed veri nominis fratres, qui in communiione eiusdem vitae consociatae, in ipsis



*eventibus*¹ huius mundi, et in communitatibus ordinis temporalis, eos edoceant de significatione et de adimplerione propriae vitae in Christo Iesu. Propterea debet apostolus attente considerare vitam quotidianam, sicuti est, sicut ducitur a fratribus suis, scil. ab omnibus hominibus.

2. *Momentum apostolicum actionis, in quantum est praeparatio ad conversionem.*

In hodierno mundo, saepe ab Ecclesia alieno, multi impediuntur variis opinionibus praeiudicatis, ne verbum vitae reapse audiant. Hi tamen homines, quamquam saepe procul sint ab Ecclesia, paulatim ad eam sese dirigunt per ipsum modum suum vivendi: « qui facit veritatem venit ad lucem » ...². Hac in re, valde notandus est valor apostolicus actionis cum non-credentibus: talis actio fraterna, in media vita sese exercens, sine pariete odii vel praeiudicatae opinionis aut suspicionis, inducit homines ad viam conversionis, ad Eum qui est *amor* et Salvator generis humani.

3. *Momentum apostolicum actionis in quantum est signum fidei.*

Decursu historiae salutis, Deus sese revelavit verbo et signis. Dum actionem temporalem efficit, vel proximo in angustiis versanti adsistit, christifidelis, servato valore proprio et fine directa huiusmodi activitatis, fidei suae testimonium perhibet ex actibus suis. *Actio temporalis* signum est fidei in Deum, qui mundum creavit in bonum generis humani, qui hominem diligit et redimit in conditione humana, et qui venturus est in fine saeculi: modo quo haec actio efficitur signum esse potest amoris et spei. Similiter, *actio caritativa* signum est Dei, qui caritas est, unumquemque novit nominatim et diligit, qui hominem amat sicuti est in realitate concreta existentiae humanae, et apud quem non est acceptio personarum. Sic, in medias res vitae suae activae, positus, christifidelis semper manet, per suam integram vitam, *semper manet*³ testis Dei viventis.

His omnibus consideratis, optandum est ut in schemate magis explanentur: 1. momentum vitae, in quantum est locus conversionis et testimonii; 2. momentum apostolicum actionis effectae una cum non-credentibus, in quantum haec actio inchoatio est conversionis; 3. valor signi fidei in actione a laicis perductae in officiis suis temporalibus et in actione caritativa.

*Observationes meas hac de re rev.mo secretario Concilii scripto tradam.*⁴ Dixi.

In textu scripto tradito: ¹ vicissitudinibus. ² (Io. 3, 21). ³ deest.
⁴ pag. 8, n. 4 proponitur addere: « Pro apostolatu, maximi momenti est attendere concretae vitae personarum, et humanae communitatis: nam vita hodierna



humanitatis influit in vitam singulorum hominum, et praeparat condiciones humanitatis futurae. Inter adiuncta concreta...». Pag. 10, n. 8, lin. 7: «Sic agentes, directe adlaborant aedificationi civitatis vere humanae, sed simul iuvant non-christianos incedere in via amoris fraterni, paupertatis et abnegationis sui-ipsius ad Illum qui Caritas est».

11

EXC.MUS P. D. STEPHANUS A. LEVEN

Episcopus tit. Buritanus, aux. S. Antonii

Em.mi Patres, venerabiles Fratres,

Quod habetur schema *de apostolatu laicorum* certissime placet. Haec Sacrosancta Synodus quae pro prima vice in historia Conciliorum et positivo quidem modo doctrinam de laicis tanquam de populo Dei tam apte exposuit; Synodus quae iterum atque iterum nos docet Ecclesiam esse entitatem non mere iuridicam vel administrativam sed Ipsum Corpus Christi, constitutam et, ut ita dicam, structurizatam sacramento episcopatus, ...¹ viventem et operantem de charismatibus a Spiritu Sancto unicuique datis; haec Synodus, repeto, ad partem laicorum in apostolatu Ecclesiae iuste meritoque se dirigit.

Versus principium schematis necesse omnino est ponere fundamentum totius argumenti de apostolatu laicorum, scil. omnis christianus si digne hoc nomine vocatur, sentit cum Christo, Christi causam in corde habet; quantum in eo est ad hanc Christi causam promovendam totis viribus faciet et hoc dicitur apostolatus christianorum inter quos maior numerus est laicorum.

Schema ...², clarius et fortius exponere debet apostolatum laicorum revera esse de essentia Ecclesiae. Non est quid accidentale, quid additamentum.

Apostolatus laicorum quidem non est mera concessio nec aliquod mandatum solummodo factum ab episcopo in favorem laicorum. E contra, hic laicorum apostolatus est vera reductio in actum ipsorum donorum charismaticorum quae ab ipso Spiritu Sancto concredita sunt populo Dei.

Indubie illi qui charismata auctoritatis et administrationis in Ecclesia Dei receperunt etiam habent ius et officium dirigendi et moderandi apostolatum laicorum. Attamen, minime habent facultatem hunc apostolatum supprimendi nec ita coarctandi ut pro nihilo reputetur. Nam in parabola Dominus Iesus eum condemnavit qui talentum in terra abscondit. Nonne ergo aequae condemnabilis est episcopus vel parochus



qui sive per inscientiam sive per ineptitudinem ita coarctet fidelium charismata ut tanquam vere abscondita et infructuosa habeantur?

Quod schema actuale de apostolatu laicorum profert, nimis repetitiose et timide dicit. Schema recognosci debet et forma eius reduci. *Uti anglice dicitur: it needs to be streamlined and given more punch.*³

Schema clarius et fusius et fortius debet loqui de necessitate verae et significativae dialogi inter episcopum vel parochum et laicos. Hoc quidem valet praesertim in regionibus et nationibus ubi laici vere ex culti et Ecclesiae dedicati sunt. Dialogus est omnino impossibilis quando laici solummodo ad audiendum invitantur. Nec habetur dialogus si episcopus solummodo paucos individuos audit sicuti medicum suum vel famulam domesticam. Potius audiantur viri et feminae vere repraesentativi, consilio et sapientia praediti, et — in quantum possibile — a populo designati vel electi.

Si schema nostrum nequeat tractare de methodo dialogi in particularibus, quia principia generalia solummodo comprehendit, nihilominus nos Patres conciliares dare debemus mandatum Commissioni Post-Conciliari instituendae quo varias formas dialogi investigent et adaequatam structuram dialogi, tanquam verum senatum, conficiant.

Hic senatus forsitan componatur ad formam illius iam propositi in adiutorium Summi Pontificis.

Obvie laici nequeunt ea in Ecclesia facere quae potestatem Ordinis et iurisdictionis requirunt. Formatio talis senatus, tamen, ne aequetur renuntiationi sive Ordinis sive iurisdictionis. E contra, tanquam optimum auxilium aestimetur quo plenitudo sacerdotii in bonum omnium animarum exerceri possit. Nam episcopus nequit personaliter loqui cum unoquoque in sua dioecesi; sed ope talis senatus repraesentativi omnino potest, tanquam Bonus Pater, familiam sibi commissam et audire et adloqui.

Utique in omnibus dioecesibus adsunt fanatici et quasi mentecapti, et his non est indulgendum. Nihilominus haec dialogus vel per senatum vel per aliud aptum perfecta, prae primis desideratur inter *bonos et solos*⁴ *catholicos*. Talis dialogus, honesta vera et veneratione mutua protracta, est inter desideria eximia nostrorum laicorum, praesertim eorum qui intelligentia praediti in Causam Ecclesiae vere dedicati sunt. Hoc desiderium, tanquam signum temporis, agnoscendum est.

Commissio post-conciliaris enixe rogatur ut media apta perficiat quibus omnis suggestio rationabilis ad episcopum aliquomodo perveniat et considerationem dignam recipiat.

Laici nostri ad nos aspiciunt et nos in Domino petunt ut vere accipiantur tanquam consortes pleni et maturi in Corpore Christi. Petunt



tantum ut charismata, a Spiritu Sancto ipsis concredita, exercere possint. Dixi.

In textu scripto tradito: ¹ sed. ² tamen. ³ deest. ⁴ deest.

12

Exc.MUS P. D. GERARDUS HENRICUS DE VET
Episcopus Bredanus

Venerabiles Patres,

Nomine conferentiae episcoporum Neerlandicae relate ad schema decreti *de apostolatu laicorum* sequentia proferre velim:

I. *Animadversiones generales:*

a) Iuvat in textu totius schematis maiorem proferre realismum christianum, in hoc sensu quod strenuo admittatur *factum* quod christifideles laici praeprimis in ipso mundo seu ordine temporali sunt et per consequens apostolice operantes. Hoc factum non est malum quoddam necessarium, nec quid secundarii, sed indicat potius locum laicorum peculiarem et specialem, licet non exclusivum.

b) Ex defectu illius realismi christiani sequitur quod multi textus, v. g. de apostolatu in familia, unice sensum supernaturalem extollunt et silent de « humanisatione » vitae (v. g. familiaris). Unice loquitur schema de *educatione christiana*. Nonne et ipsa educatio *humana* debet esse expressio obiectiva ipsius spiritus christiani?

c) In indicandis rationibus, cur hodiernis temporibus apostolatus laicorum fiat urgentior, minus recurrendum est ad rationes opportuniticas, sed ad profundiores: nempe, renovata cognitio seu conscientia Ecclesiae ex una parte, et, ex altera, nova conscientia illius quod est « mundus » seu ordo temporalis, qui in sua provincia gaudet quadam autonomia et insimul debet esse expressio obiectiva vitae christianae.

Ex his praenotaminibus sequuntur aliquae propositiones emendationis textus: e. g.

1. In prooemio pag. 5, post lin. 8 addatur: « Quae apostolica operositas laicorum non solum agnoscenda est in illis inceptis quae immediate ad evangelizationem hominumque sanctificationem pertinent, sed etiam in iis quae ordini temporali humaniter instaurando et in Christo restaurando inserviunt ». *Ratio:* sic iam in prooemio realismus, de quo supra, iam clarius manifestatur.

2. In prooemio pag. 5 lin. 11: post verba « latiore expostulant »

addatur: « tam propter renovatam Ecclesiae suiipsius cognitionem, quam propter novam humanam et christianam conscientiam illius quod est mundus » ...¹.

3. In prooemio pag. 5 linn. 16-19: textus sic mutetur: « Hic apostolatus... non solum ob insufficientem numerum cleri, sed etiam quia autonomia quaedam multarum provinciarum vitae humanae magis evoluta est, aliquando non sine alienatione ab ordine religioso vel ethico, ita ut principia revelationis divinae ad has provincias tam theoretice quam practice de novo applicari debeant ». *Ratio*: non negando factum peccati in opere instaurationis mundi et promotionis populorum, oculos praesertim vertere debemus ad processum sic dictum saecularisationis, qui, de se non malus sed bonus, expostulat tamen novam christianam revalorisationem seu aestimationem.

4. Pag. 10, n. 9, linn. 12-14: mutetur in « ... ab iis quae finem ordinis temporalis instaurandi et in Christo restaurandi immediate attingunt ». *Ratio*: secus periculum adstat alicuius « clericalismi culturae ».

5. Pag. 11, n. 11, lin. 8 dicatur: « ... meminerint christifideles laici se vocatos esse ad hoc, ut una cum omnibus hominibus ad universum temporalem ordinem perficiendum cooperentur, eumque in Christo restaurent, secundum illud... ». *Ratio*: opus perfectionis ordinis temporalis est commune omnibus hominibus et non sola vocatio christianorum. Insuper certa quaedam autonomia huius operis de novo est affirmanda. Ceterum, totus hic n. 11 valde confuse est redactus et egeret nova organica structuratione.

II. Tandem duas alias animadversiones facere velim.²

1. In pag. 6. n. 1, linn. 3-4 dicatur: « Apostolatus, qui nomen trahit a missione Ecclesiae, quae a missione Filii missioneque Spiritus Sancti procedit, non designat tantum munus dicendi, pascendi et sanctificandi apostolis eorumque successoribus concredito, sed etiam Corporis mystici actuositatem... ». *Ratio*: sic plenior notio biblica « apostolatus » indicatur.

2. In pag. 12, n. 12, lin. 21 addatur: « Praesertim commendatur actio caritativa pro nationibus sic dictis evolvendis. Singulae Ecclesiae enixe invitentur, ut sese huic operi omnibus viribus dedicerent (cf. Enc. *Mater et Magistra*) ». *Ratio*: haec solemnitas invitatio in hoc Concilio deesse nequit, et hic n. 12 est locus indicatus.

*Alias animadversiones scripto secretariatus tradam.*³ Dixi.

In textu scripto tradito: ¹ *Ratio*: iam indicata est. ² Aliae animadversiones. ³ 3. pag. 5, n. 1. lin. 25: loco « animas salvando » dicatur « homines



salvando ». *Ratio*: talis locutio non est anthropologica nec biblica. 4. Quaeritur utrum in hoc decreto sermo fieri debeat de notionibus illis intricatis et inter theologos disputatis « mandati » et « missionis canonicae » (pag. 16, n. 18, lin. 16 et linn. 19-20; sicut in n. 16, pag. 15, linn. 6-7). 5. Pag. 9, n. 6, linn. 6-7: deleatur citatio S. Ignatii, qui directe presbyteros et non laicos intendebat. Ceterum contentum huius citationis, adaptatum ad apostolatum laicorum, varias expostulat perpolitioes. 6. Pag. 6, n. 1, lin. 14: deleatur « hic »; ergo « Apostolatus laicorum... ». *Ratio*: quia in praecedentibus (linn. 9-13) agitur de apostolatu christifidelium in genere, qui non identificatur cum laicorum apostolatu.

13

EXC.MUS P. D. VILLELMUS CONWAY

Archiepiscopus Armachanus

Hoc schema in genere placet et, meo iudicio, brevitate et coordinatione materiae priori textui praeferendum est.

...¹ Simul sumptum cum capitibus de laicis et de universali vocatione ad sanctitatem schematis *de Ecclesia*, necnon et cum schemate *de Ecclesia in mundo huius temporis*, pretiosam summam constituit principiorum theologiae laicatus nec non spiritualitatis et actionis propriae laicorum.

Sed ideo vel magis dolendum est quod schema cum themate centrali Concilii, i. e. cum schemate *de Ecclesia* non intimius integretur. Sine relatione explicita ad doctrinam theologiam ibi expositam aliquatenus mancum aut claudum esse videtur. Deinceps connexio huius schematis cum schemate Ecclesiae in mundo huius temporis in clara luce poni debet: quia ad laicos modo speciali pertinet Ecclesiam praesentem redere mundo.

Brevitas schematis causa sine dubio est quare multae huius generis considerationes omissae sint. Sed alias quoque omissiones doleo.

1. Dolendum est quod in schemate nihil dicitur de iuventute, sive in quantum constituit obiectum apostolatus sive in quantum praebet instrumentum apostolatus.

a) In quantum constituit obiectum apostolatus. Adolescentibus fere plus quam omnibus aliis necesse est ut animos nostros convertamus. Futurum iam praesens nobis est in iuvenibus. In illis quasi in microcosmo signa temporis perspicere possumus; tantis vocibus sollicitantur, tam diversis opinionum ventis agitantur, inter euphoriam exuberantem et desperationem morosam incerti et ambigui fluctuant.

*Attamen*² iuvenes idealia sitiunt, nihil magis ab adultis postulant quam idealia nobilia, generosa et authentica. Re quidem vera crisis iu-



ventutis hodiernae in eo imprimis consistit quod idealia requirens sola materialia recepit, quod panem a mundo postulans non nisi lapidem recepit. Expectationem eorum ne defraudemus sed ipsum Christum imitemur qui « intuitus iuvenem dilexit eum ».

b) Nec solum uti obiectum apostolatus iuventus consideranda est sed ut instrumentum apostolatus; nam ipse fervidus iuvenum idealismus optatissimos eos facit apostolatus cooperatores. Ita ut potentissimi iuvenum apostoli sint ipsi iuvenes. Iuvenes sunt qui « aggiornamento » conciliaris et renovationis Ecclesiae et mundi, instrumenta erunt principaliora. « Scribo vobis, iuvenes, dixit S. Ioannes, quoniam fortes estis et verbum Dei manet in vobis et vicistis malignum » ...³.

*Attamen de iuvenibus et iuventute in schemate nostro ne verbum quidam.*⁴

Propono igitur ut sermo aliquis, quamlibet brevis, fiat in schemate de iuvenibus tamquam obiecto simul et instrumento apostolatus, et pericopen in hoc sensu secretariatus in scriptis tradam.

2. Meo iudicio paulo firmiter et explicitius schema insistere debet in hoc quod radix et fundamentum formationis apostolicae est sanctitas.

Quo apostolatus laicorum plus organizatus, plus systematicus, plus — sit venia verbo — structuratus fit — et quidem iure et necessario in complexitate societatis hodiernae — eo vel magis periculum exoritur quod apostoli quodammodo quasi « professionnelles apostolatus » deveniant, efficacitatem temporalem spectantes plus quam implantationem evangelii, activismi plus quam actionis vere apostolicae fautores. Actio autem apostolica nulla existit quae non ea profunda vita interiore promanat, sacra liturgia, sacramentis, oratione personali, nutrita. Immo apostolus qui vere sanctus est fit eo ipso, ut ita dicam, « radioactivus »: homines enim hodierni, a Deo quamvis alienati, sanctitatem tamen adhuc recognoscunt et illi quasi instinctu quodam latente respondent.

Ipsae Dominus *noster*⁵ qui apostolos ad se vocaturus, « erat pernoctans in oratione Dei » ...⁶, *non ad*⁷ sacerdotes tantum sed *ad*⁸ omnes discipulos suos Dominus alloquitur quando dicit: « Vos estis sal terrae; quod si sal evanuerit ad nihilum valet ultra nisi ut mittatur foras et conculcetur ab hominibus ».

Recenter ipse Summus Pontifex Paulus VI f. r. in Litteris Encyclicis *Ecclesiam Suam* solemniter declaravit quod « silentiosa meditatio » est « necessaria forma » qua actio religiosa et socialis Ecclesiae exprimitur.

Peto igitur ut in schemate quando de formatione ad apostolatam agitur primus locus explicitius tribuatur vitae spirituali apostolorum; et pericopen in hoc sensu secretariatus in scriptis tradam.



Tres alias animadversiones, nempe de doctrina sociali Ecclesiae ut elemento essentiali apostolatus; de actuositate caritativa ad normas scientiarum socialium et artis technicae modernae adaptanda; et de formis apostolatus ad alias nationes transferendis, brevitatis causa secretariatui tradam. Dixi.

In textu scripto tradito: ¹ Praesens schema. ² Sed ex alia parte. ³ (1 Io. 2, 13-14). ⁴ deest. ⁵ deest. ⁶ post primam discipulorum missionem eis dixit: « Venite seorsum in desertum locum et requiescite pusillum » (Mc. 6, 31). ⁷ neque. ⁸ deest.

Animadversiones additae:

1. In n. 2, *De apostolatu ab omnibus et singulis exercendo*, ad finem (pag. 7, post lin. 6), inserantur verba: « Ecclesia vero, ad instar Divini Magistri qui « intuitus iuvenem dilexit eum » (Mc. 10, 21) singulati prorsus amore iuvenes prosequitur et ab eis cum fiducia expectat ut sese pro causa Christi, praesertim inter coevos suos, devoveant. « Scribo vobis, iuvenes », dicit S. Ioannes, « quoniam fortes estis et verbum Dei manet in vobis et vicistis malignum » (1 Io. 2, 13-14). En ideale generosum et authenticum ad quod cor iuventutis ardens aspirat. Immo nostris diebus ipsi iuvenes peculiarem constituunt apostolatus campum ad quod colendum apostoli, tam sacerdotes quam laici, speciali formatione indigent, ope quoque scientiae psychologicae et paedagogiae modernae ».

2. *De sanctitate ut omnis formationis apostolicae fundamento:* in n. 3, *De formatione apostolica*, pag. 7, post lin. 12, haec verba inserantur: « Cum vero actio vere apostolica nulla detur quae non ex vita interiore cum Christo abscondita promaret, formatio ad apostolatam ante omnia formatio spiritualis esse debet. Institui debent cursus vel sessiones pro instructione theologica, biblica, liturgica laicorum cum exercitiis spiritualibus et diebus sic dictis recollectionis stato tempore repetitis. Aliter enim periculum est ne vita interior et spiritualis quae apostolatus anima est dissipetur, ipse Dominus noster admonens: Vos estis sal terrae. Quod si sal evanuerit, in quo salietur (Mt. 5, 13) ».

3. *Aliae animadversiones:* meo iudicio aliquid dici debet: a) de momento studii doctrinae socialis Ecclesiae in formatione ad apostolatam; b) de momento scientiarum socialium et artis technicae modernae in operibus caritativis; c) par. 15, pag. 14 inserantur verba sequentia: « Quando apostolatus formae, in una natione institutae, ad aliam transferuntur, curent earum fundatores et moderatores a spiritu nimis possessivo abstinere et parati se ostendant ad adaptationes locales permittendas et, salvo instituti spiritu essentiali, ad decentralisationem debitam gubernii permittendam ».



14

EXC.MUS P. D. ALBERTUS CONRADUS DE VITO
Episcopus Lucknovensis

Venerabiles Patres,

Multa iam dicta vel scripta sunt de apostolatu laicorum, mihi tamen videtur fundamentum seu ratio ultima huius apostolatus in schemate nostro non sufficienter clare ac adaequate enunciata esse.

In schemate sententiae seu expressiones adhibentur negativo modo ...¹ vel non sufficienter *explicitae*.² V. g. in pag. 5 n. 1 lin. 27: « Corpus mysticum *non sinit* ullum membrum esse mere passivum ». *Notatis verba: non sinit*.³ In pag. 6, lin. 3 habetur: « Apostolatus qui nomen trahit a munere docendi... omnem etiam Corporis mystici actuositatem designat... ». *Notatis verbum « etiam »*.⁴ Eodem modo mihi non videtur sufficere dicere obligationem apostolatum exercendi oriri...⁵ « ex praecepto caritatis », uti *habetur*⁶ in pag. 6, n. 1, lin. 8. Clariora ...⁷ sunt verba quae in paragrapho immediate sequenti adhibentur.

Mea humili tamen sententia, quam vestro benevolo iudicio considerandam propono, *teneo*⁸ fundamentum dogmaticum *seu theologicum*⁹ doctrinae de apostolatu laicorum clariori immo inflatori modo in schemate enunciari *debere*.¹⁰

Sacerdotium sic dictum « commune » de quo sermo fuit in schemate constitutionis *de Ecclesia* in cap. II n. 10 inadaequate christifidelium officium in apostolatu explicat eo quod ibi dicitur christifidelium sacerdotium in iure sacramenta recipiendi *tantummodo*¹¹ consistere. Procul dubio sacramentorum receptione a sacerdote in hierarchia constituto, christifideles sanctificantur, tamen *ipsi receptione sacramentorum*¹² alios nullo modo sanctificant, uti e contra facere deberent in *explicatione sui apostolatus*.¹³

Ne qua confusio oriatur recolere velim sacerdotium Capitis Corporis mystici, sacramento Ordinis, quamvis per gradus, illis qui ordinantur conferri.

Christifideles vero, receptione Baptismatis, non modo Corporis mystici membra fiunt, sed ...¹⁴ sacerdotio Capitis quoque partem habent.

...¹⁵ Uti singula membra corporis mei physici sunt membra sacerdotalia, eodem modo membra Corporis mystici *quod est corpus reale participare debent*¹⁶ de sacerdotio Capitis *ita*¹⁷ ut illud actuose exercere valeant.

Ideoque in schemate nostro clare dicatur christifideles, receptione



Baptismatis, ipsius baptismatis ministri extraordinarii officii: immo dicatur *ut*¹⁸ ipsi sunt ministri ordinarii, proprii et exclusivi sacramenti matrimonii, ita ut sponsus istud sacramentum sponsae conferat et vicissim *sponsa sponso sacramentum confert*.¹⁹ Nempe ipsi qua sacerdotes, sacramenti matrimonii gratiam sanctificantem active reciproce *in com- parte*²⁰ conferunt eodem modo quo nos, sacerdotes hierarchici, gratiam sanctificantem aliis aliorum sacramentorum administratione conferimus.

Baptismatis ac Confirmationis receptione christifideles, quamvis sub ductu hierarchiae, vere participant in munere docendi, regendi et sanctificandi. De facto canonice ipsi societatibus, confraternitatibus ac Tertiis Ordinibus, pro laicis erectis, praesidere possunt *et praesident*²¹; christianam doctrinam docere possunt *et docent*²²; alios ...²³ sanctificare possunt: *nempe*²⁴ ut ministri extraordinarii in sacramenti baptismatis administratione et ut ministri ordinarii ac exclusivi in matrimonii sacramento.

Conclusionem faciens, liceat mihi rogare ut doctrina theologica de *participatione laicorum in sacerdotio Christi, quod est fundamentum laicorum*²⁵ clariori ac inflatiori modo enunciatur. *His praemissis*²⁶ ea quae sequuntur relate ad munus apostolatum exercendi nihil aliud erunt quam necessaria consecraria. Dixi.

In textu scripto tradito: ¹ datae. ² definitae. ³ deest. ⁴ deest.
⁵ tantum. ⁶ est. ⁷ vero. ⁸ deest. ⁹ deest. ¹⁰ debet. ¹¹ deest.
¹² deest. ¹³ apostolatus exercitio. ¹⁴ in. ¹⁵ V. g. ¹⁶ ita partici-
pant. ¹⁷ deest. ¹⁸ quoque quod. ¹⁹ deest. ²⁰ in seipsos. ²¹ deest.
²² deest. ²³ ac seipsos. ²⁴ deest. ²⁵ apostolatu laicorum. ²⁶ Hoc
posito.

Animadversiones additae:

Pag. 5-6, nn. 1-2. Si conclusiones latiores amplioresque quam praemissas vitare volumus, ita clare fundamentum theologicum de natura apostolatus enuncian- dum est ut ex ipso clarae conclusiones deduci possint.

Confer animadversiones quas die 8 octobris 1964 in aula conciliari feci et scriptas tradidi.

De formatione apostolica: pag. 7, n. 3. 1. *Formatio apostolica primario in vita spiritali intima ac profunda fundari debet.* Ratio cur usque adhuc laici in apostolatu partem activam non habuerunt certo certius legum penuriae nullo modo adscribi potest, nam omnes Romani Pontifices a Pio X usque ad nos de laicorum participatione in apostolatu multum optimeque locuti sunt.

Episcopi quoque et sacerdotes laicis libertatem concedunt quae pro exercitio apostolatus requiritur. Si ipsi tamen non semper efficaces seu activi in operibus apostolicis fuerunt, hoc unice formationis spiritalis deficientiae tribui debet.



Ideoque in decreto sermo esse debet de necessitate vitae spiritualis, intimae ac plenae, ut conditio sine qua non pro fructuoso apostolatu.

2. *Formatio intellectualis* utique necessaria est, tamen formationem spiritua-lem sequatur oportet.

3. *Illis ad quos spectat* (lin. 25), quandoque sunt fratres ac sorores quibus scholae catholicae commissae sunt. Proh dolor! affirmari debet quod ipsi saepe saepius scholae ianuam episcopis sacerdotibusque claudunt ac nullo modo nostris iuvenibus formationem apostolicam impertiunt.

Ideoque clarius ipsorum munus exprimatur. Ad hoc haec verba in lin. 30 addi possent: « ... etiam in scholis, collegiis et aliis institutis educationis, cuiuscumque generis, religiosiis fratribus ac sororibus quoque pertinentibus, observanda sunt, et quidem sub episcopi vigilantia ».

De formis associativis: pag. 13. In schemate nullum fit verbum de *novis associationibus laicalibus* quae ex professo, si ita liceat loqui, apostolatum exercent. De eis quoque sermo esse debet eo quod plurimae earum iam ab Ecclesia approbatae sunt, quinimmo laudabiliter, praecipue in missionibus, opus suum explicant.

Istae associationes sunt sic dictae associationes professionali, seu medicorum, mulierum infirmis ministrantium, docentium, etc., quae magni faciendae sunt in apostolatus exercitio.

Tamen nullo modo confundi debent cum *Institutis Saecularibus* de quibus agi debet in schemate *de religiosiis*.

De relatione ad hierarchiam: pag. 15, n. 18. Nonnulli Patres in suis animadversionibus in aula conciliari locuti sunt de « clericalismo » vitando. Haec verba valde obnoxia sunt sequentibus rationibus:

1. Male sonant atque a multis aequivoco modo interpretari possent, immo certissime non deerunt qui eis abuti parati sunt. Ideoque etiam si in schematis redactione quaedam idea clericalismi inveniri potest, certe de hoc modo magis proprio loqui debet.

2. Contradicunt doctrinae Summi Pontificis Pii XI. Laicorum enim apostolatus nihil aliud est nisi « participatio in ministerio hierarchiae ». Quae participatio, ex verbis eiusdem Pontificis, « sub ductu hierarchiae fieri debet ».

Multi Patres petierunt ut, saltem in quibusdam rebus, laici apostolatum exercere possint independenter a hierarchia. Utique episcopi et parochi! Laicorum cooperationem magni facere debent illisque pro apostolatus exercitio mandatum toto corde dare, tamen independentia a hierarchia neque iuridice neque in praxi commendanda ac probanda est.

1. Iuridice non datur apostolatus proprie dictus vel sensu stricto, sine mandato vel saltem quadam hierarchiae vigilantia.

2. In praxi, si mandatum vel vigilantia desunt, ob imprudentiam vel imperitiam aliquorum laicorum multa mala oriri possunt. Experientia valde dolorosa iam constat quosdam laicos ex excessu peccasse atque ad suas opiniones seu iura defendenda tribunalia quoque civilia adiisse. Valde periculosum est bonorum ecclesiarum administrationem in manus laicorum tradere. Experientia iam constat quot mala Ecclesiae occurrerunt ex mala administratione scholarum seu ecclesiarum laicis commissa.

Ideoque necesse est clare statuere laicos pro apostolatus exercitio mandato indigere ac sub hierarchiae vigilantia (supervisione) illud explicare posse.



15

Exc.MUS P. D. HENRICUS TENHUMBERG
Episcopus tit. Thuburnicensis, aux. Monasteriensis

Venerabiles Patres et Fratres,

Nomine 83 Patrum conciliarium linguae Germanicae et Scandinaviae mihi quae sequuntur, proponere liceat:

Schema decreti in genere placet ...¹. Emendationes autem, quae sequuntur, necessariae mihi videntur:

1. Declarationes *de necessitate apostolatus laicorum* nimis ab extrinseco depromptae esse videntur. In prooemio e. g. in fine solummodo mentio fit S. Spiritus, cuius gratia praeveniens apostolatus laicorum nostris temporibus feliciter est suscitatus. Melius esset, si de Spiritu Sancto iam in initio huius alinae prooemii latiori modo sermo fieret, quia ipse Spiritus Sanctus est vita ecclesiae, in quo tum mundi creatio tum Verbi Dei incarnatio est facta. Ideo in ipso Spiritu Sancto omnis apostolatus tum laicorum tum hierarchiae principium et fundamentum theologicum habet ...².

2. Eadem de causa dolendum est *notionem de apostolatu nimis esse restrictam ad hierarchiam ...³*. Primus apostolus etenim, a quo omnes apostoli ecclesiae munus et nomen apostolicum acceperunt, est Iesus Christus « Apostolus et Pontifex confessionis nostrae », sicut nominatur in ep. *ad Hebraeos ...⁴*, missus a Patre in Spiritu Sancto, et ideo campus pro apostolatu laicorum est latior quam participatio vel collaboratio cum hierarchia in munere docendi, regendi et sanctificandi. Opera etenim socialia, et caritativa et labor professionalis ipse vera opera apostolica esse possunt ...⁵.

3. Simili modo etiam *in formatione apostolica fidelium* ista indoles theologica omnis apostolatus valorem proprium et locum primum obtinere debet ...⁶. Tali formatione fundamentali fideles contra tentationes et aggressiones tum saecularismi ...⁷ tum atheismi aliquomodo immunes fore speramus et capaces, tum dialogo tum vitae exemplo testimonium verae christianitatis praebere. Pro hac fidelium formatione theologica et ascetica capita constitutionis *de Ecclesia* — a primo usque ad ultimum — maximi momenti pro futuro erunt et tali sensu in nostro schemate de ista constitutione saltem breviter mentio fiat.

4. Immo, quae in schemate *de missione canonica et de actibus liturgicis* vel affirmantur vel supponuntur, residua alicuius falsi clericalismi esse videntur ...⁸.

Sunt certe quidam actus liturgici, qui indigent speciali delegatione vel missione, si a laicis peraguntur, e. g., si dirigunt sacras Verbi Dei celebrationes ad normam constitutionis *de S. Liturgia ...*⁹. Sed sunt plures actus liturgici, qui tali missione non *indigent*.¹⁰

5. *Schema in toto modum loquendi et distinguendi nimis scholarem evitare debet*, e. g. in n. 12 ...¹¹. Hac in alinea opera caritatis et misericordiae ab apostolatu directo evangelisationis minus sunt distinguenda quam amborum intima connexio est *sublineanda* ...¹².

Caritas enim¹³ Christi ...¹⁴ est scaturigo omnis apostolatus Ecclesiae.

Apostolatus laicorum in evangelisatione mundi et in cura animarum exercendus revera ergo est opus caritatis vel misericordiae spiritualis.

Opera caritatis ad opera exteriora vel materialia restringere non licet ...¹⁵

Ex nimia distinctione, e. g. etiam quaedam isolatio organisationum caritatis christianae vel oriri vel fulciri posset.

6. Sublineandum certe esse videtur, quod in *schemate*¹⁶ de mandato huius Concilii pro Commissione ad Codicem Iuris Canonici recognoscendum provisum est, sed etiam optandum. Schema nostrum et Cod. Iur. Can. in futuro quoad *Ius peculiare fidelium in ecclesia aestimationem dignitatis et valoris totius populi Dei ad normas directivas constitutionis de Ecclesia sufficienter expositurum esse* et ideo tum Iura associationum tum singulorum fidelium in lucem claram elevaturum, e. g. quoad consilia paroecialia, dioecesana et interdioecesana *quoad Consilium apud curiam Romanam*¹⁷ lege ecclesiastica firmanda et ordinanda, quoad Ius personae singularis e. g.¹⁸ parentum, paedagogorum, in quolibet campo scientiae peritorum etc. Muneribus, functionibus et meritis fidelium in ecclesia Ius ecclesiasticum correspondere debet.

7 *et ultimo*.¹⁹ Laici cooperatores cum episcopis in toto mundo laetitia affecti sunt cognoscentes, Sacram Synodum de muneribus laicorum in Ecclesia et mundo speciali modo esse tractaturam. Si ergo dicere possunt: « Nostra res agitur », quid enixius optare velint, quam *ut Concilium Oecumenicum ipsos laicos in ipsorum re agenda sufficienter audiat*. Certe a commissione competenti mentem aliquorum laicorum de re tractata investigatam esse scio. Cum autem in aula conciliari repraesentantes laicorum utpote auditores et auditrices adsunt, quid opportunius et favorabilius pro emendando *schemate decreti* esset quam per ipsos repraesentantes laicorum et coetus competentes et singulos laicos peritos *de hoc schemate et de aliis ad apostolatum laicorum pertinentibus* audire et emendationibus a laicis ipsis propositis denuo in aula conciliari definitive tractare. Et dignitas et merita laicorum ...²⁰ expo-

stulant hoc signum existimationis et reverentiae hierarchiae erga populum Dei eiusque charismata in Ecclesia. Dixi, gratias.

In textu scripto tradito: ¹ Dignitatem etenim et responsabilitatem laicorum in vita et operatione Ecclesiae respicere intendit, varietatem huius apostolatus quoad formam et organizationem, necessitatibus et conditionibus in variis terris accommodatam, et principia unitatis et cooperationis lucide demonstrat. ² Theologia de Spiritu Sancto et de eius missione tum in mundum creatum tum in mundum salvatum est omnino necessaria pro conceptu sat profundo et lato apostolatus laicorum. Certo et recursus ad cap. IV schematis *de Ecclesia* fundamentum theologicum pro muneribus laicorum in Ecclesia et mundo clarificare posset. ³ (vid. e. g. pag. 6, n. 1, lin. 1) « Apostolatus, qui nomen trahit a munere docendi, regendi et sanctificandi apostolis concredito eorumque successoribus... ». ⁴ (3, 1). ⁵ Simpliciter dicatur: « Apostolatus, qui nomen trahit ab uno "Apostolo et Pontifice confessionis nostrae" (*Hebr.* 3, 1) Iesu Christo, misso a Patre in Spiritu Sancto in hunc mundum, et a muneribus duodecim apostolis eorumque successoribus concreditus... ». ⁶ Schema nostrum clarius pronuntietur, formationem theologicam, indigentis fidelium adaptatam et formatione ascetica amplificatam, fundamentum et animationis principium esse pro quacumque institutione christiana in campo sociali, culturali etc. ⁷ (sit venia verbo). ⁸ E. g. in art. 18, ultima alinea pag. 16, postulatur pro actibus liturgicis laicorum missio canonica, et quidem sine ulla restrictione. Immo: in notis pag. 20 nominantur expresse sacristae et acolythi, qui ob defectum copiae clericorum explerent munera non laicis competentia, sed ordinibus inferioribus (cf. nota 5 et 6). ⁹ art. 35, n. 4. ¹⁰ necessario indigent, quia nec ex natura nec ex iure divino nec ex iure ecclesiastico universali et immutabili clericis sunt propria, e. g. munera ministrantium, cantorum, sacristarum. In Ecclesiis Orientalibus ordinantur tantum lectores. Ecclesia Romana per saltem quatuor saecula usque ad saec. x ordinavit tantum lectores et acolythos. Disceptatur in praesenti, utrum in futura restauratione liturgica Ordines minores conservari possint, et, si affirmatur quaestio, quales sint retinendi. Verum est, de facto munera liturgica minora per aliquot saecula clericis reservata fuisse: et ubi defecerunt clerici, saltem fictio iuris vel nominis remansit, ut in rubricis usque ad recentes reformationes liturgicas partiales vel in nominibus « piccolo clero » vel « chierichetti » apparet. Verum est etiam Instructionem de Musica Sacra et de sacra Liturgia a. 1958 adhuc loqui de « servitio ministeriali *delegato* » laicorum masculini sexus, qui a « competente auctoritate ecclesiastica ad ministerium altaris vel ad Musicam Sacram exsequendam deputantur » (art. 93 c). Sed constitutio *de sacra Liturgia* in art. 29 non iam loquitur de delegatione, sed statuit expresse et consulto: « Etiam ministrantes, lectores, commentatores et ii qui ad Scholam Cantorum pertinent, *vero* ministerio liturgico funguntur ». Consequenter non indigent missione canonica. A fortiori non indigent aliqua missione canonica sacristae, quia non explent ministerium proprie dictum liturgicum, ut dicitur in relatione commissionis conciliaris (Emendationes IV, pag. 10). Non negamus sacristas, cantores, pueros chorales et alios inservientes laicos indigere aliqua nominatione a rectore ecclesiae facienda, ad normam can. 1185 C.I.C. Sed minime pro iis requiritur missio canonica, quia eorum actus non sunt per se clericales vel hierarchici. Vices enim gerunt fidelium vel representant communi-



tatem liturgicam. Propono ergo ut pag. 16, lin. 19 loco « actibus liturgicis » dicatur « in *quibusdam* actibus liturgicis ». ¹¹ pag. 12, linn. 15-21. ¹² Ergo propono, ut loco « Ab actione apostolica, quae immediate in praedicatione Evangelii... intendit... distingui possunt, propter suam peculiaritatem, opera misericordiae et caritatis... » dicatur « *Cum* actione apostolica... intime coniuncta sunt, salva eorum peculiaritate, opera misericordiae et caritatis... ». Rationes sunt, ¹³ deest. ¹⁴ (cf. pag. 10, n. 10, linn. 19 s.). ¹⁵ In genere ergo inopportunum esse videtur varia opera apostolatus in hoc decreto conciliari nimis scholastice distinguere. ¹⁶ n. 15 schematis. ¹⁷ deest. ¹⁸ deest. ¹⁹ deest. ²⁰ utriusque sexus.

[*Adhaeserunt etiam*] Exc.mi DD. Angerhausen, ep. aux. Essendien., Aufderbeck, ep. aux. Fulden., Baaken, ep. aux. Monasterien., Bengsch, arch.-ep. Berolinen., Bliestle, sup. gen. M.S.F., Bokenfohr, ep. Kimberleyen., Bolte, ep. Fulden., Braunstorfer, abb. praes. Congr. SS. Cordis Iesu, Buchholz, praef. ap. Shihtsienen., Buchkremer, ep. aux. Aquisgranen., Cleven, ep. aux. Colonien., Bühl, ep. tit. Methonen., Cobben, ep. Helsinkien., card. Döpfner, arch. Monacen. et Frisingen., Duschak, vic. ap. Calapanen., Elchinger, ep. coad. Argentoraten., Emanuel, ep. Spiren., Etspüler, prael. null. Bangueden., Ferche, ep. aux. Colonien., card. Frings, arch. Colonien., Frotz, ep. aux. Colonien., Fürstenberg, ep. Abercornen., Gnädinger, ep. aux. Friburgen., Gran, ep. coad. Osloen., Grimm, ep. Zinceuven., Haering, ep. Scioceuven., Hasler, ep. S. Galli, Hiltl, ep. aux. Ratisbonen., Hintringer, praef. ap. Khiamuszen., Hoeck, abb. praeses Congr. Bavaricae O.S.B., Hoehne, vic. ap. Rabaulen., Höffner, ep. Monasterien., Jäger, arch. Paderbornen., Kaiser, prael. null. Caravelien., Kampe, ep. aux. Limburgen., Kelleter, ep. Bethlehemem., Kemerer, ep. Posaden., Kempf, ep. aux. Herbipolen., Klein, ep. tit. Echinen. vic. ap. Insulae Yule, Koberger, sup. gen. Congr. Lat. Austria Klosterneuburg Vindobonen., Koenner, ep. tit. Modrenus, Koestner, ep. Gurcen., Koppmann, vic. ap. Vindhoeken., Landersdorfer, ep. Passavien., Laszlo, ep. Sideropolitani., Lueck, ep. Alivalen., Lucas, ep. tit. Adulitan., Macheiner, ep. aux. Salisburgen., Nierhoff, ep. Floresta, Mangers, ep. Osloen., Pachowiak, ep. aux. Hildesheimen., Pietsch, ep. aux. Secovien., Pohlschneider, ep. Aquisgranen., Przyklenk, ep. Januarien., Reuss, ep. aux. Moguntin., Rohrer, arch. Salisburgen., Rosenhammer, vic. ap. Chiquitosen., Rütth, vic. ap. Norvegiae Centralis, Schaffran, ep. aux. Vratislaven., Schaeufele, arch. Friburgen., Schick, ep. aux. Fulden., Schmitt, ep. Bulanaïen., Schräder, ep. aux. Osnabrugen., Schneider, arch. Bambergem., Schoiswohl, ep. Secovien., Schweizer, sup. gen. S.D.S., Sedlmeier, ep. aux. Osnabrugen., Simons, ep. Indoren., Stangl, ep. Herbipolen., Stimpfle, ep. Augustan. Vindel., von Streng, ep. Herbipolen., Tenhumberg, ep. aux. Monasterien., Verschuren, ep. coad. Helsinkien., Vervoort, ep. tit. Baricen., Vonderach, ep. Curien., Wechner, ep. aux. Oenipontan., Wehr, ep. Treviren., Weigl, ep. Ikelaën., Wember, vic. ap. Norvegiae Septemtr., Westermann, ep. Sambalpuren., Zak, ep. S. Hippolyti, Zimmermann, ep. aux. Augustan. Vindel., Taylor, ep. Lomiae.



16

EXC.MUS P. D. PETRUS CANISIUS VAN LIERDE
Episcopus tit. Porphyrionensis

Em.me Moderator, Patres venerabiles,

...¹ Schematis textus pluries *et passim*² nos edocet de ordine temporali christiane instaurando multis vicibus voce « instauratio » utens ...³, una tantum vice voce « animatio » ...⁴. Textus utique explicat vocis « instauratio » usum, ast, meo sensu, vox « instauratio » videtur vitanda ob duplici ratione. Prima ratio invenitur in multiplici huius vocis vi ethymologico quo etiam significatur actus instituendi seu efformandi aliquam rem ac si Ecclesia per suos laicos « instituere » vellet ordinem civilem christianum dum e contra Ecclesia ad hoc strenue ac patienter tendit ut praeiacentem ...⁵ iam existentem civilem ordinem imbuatur Christi Spiritu. Altera ratio habetur ex voluntate qualemcumque humani dominatus ideam expellendam uti explicitis edicitur verbis in relatione textui addita ...⁶. Unde in hac magni ponderis materia eligendus sequentium verborum usus: « animatio, restauratio, transformatio ».

...⁷ 1. Prorsus intelligitur schematis textum nullum texere sermonem de laicorum actione apostolica circa recreationis seu relaxationis campum nostris praesertim temporibus maxime perpensum. Huius materiae obiectum exstat decretum conciliare *de instrumentis communicationis socialis*.

Ast, dolendum videtur textum ignorare lusoria corporis exercitia et spectacula (sport), peregrinandi studium dilectationis dumtaxat causa (turismo) et alia huiusmodi sicut etiam quaestionem de temporis liberi usu, problema utique ponderis pro omnibus laicis variisque categoriis socialibus, speciatim vero pro iuvenibus cuiuscumque indolis et conditionis.

2. Etiam notatu dignum textum nullum succinctum texere sermonem de spiritualitate actionis apostolicae laicorum seu de spiritualitate laicis propria uti animadvertibat *in aula*⁸ em.mus card. Ritter.

Schema constitutionis *de Ecclesia* in cap. II loquens de « Populo Dei » nonnulla obiecta fundamentalia edidit pro laicorum spiritualitate ...⁹, dum eadem constitutio in cap. IV « de laicis » sermonem instituens adhuc plurima hanc spiritualitatem respicienda edocebat ...¹⁰.

Nova lux pretiosa praesenti adfertur argumento ex cap. V eiusdem constitutionis ubi tractatio de universali vocatione ad sanctitatem in Ecclesia etiam laicos adloquitur sanctitatis genuinae fastigium additans



vias et media, uti v. g. consiliorum evangelicorum propositum et exercitium omnibus indistincte laicis modo tamen eorum vitae consentaneo oblatum.

Unde res valde perutilis *videtur ut*¹¹ in schemate de laicorum apostolatu *invenimus*¹² novum laicorum spiritualitatis adspectum ex eorum ...¹³ actione apostolica surgentem. Praesenti in textu tantum prostat *brevissima*¹⁴ allusio ad qualitates humanas et ad virtutes christianas excolendas. Unde humiliter propono in nostro schemate introducendum summularium de spiritualitate actionis apostolicae laicorum, quod utiliter potuerit fieri ubi sermo est de formatione apostolica ...¹⁵.

Criteria huius spiritualitatis desumenda videntur hisce praecipuis elementis quattuor: Deus, homo, ipsa actio apostolica et mundus hodiernus.

Deus unde haec spiritualitas fontaliter exordium sumit; *homo* in quo tota pervenit, sistit et operatur; *ipsa actio apostolica* quae hanc spiritualitatem specificat, impellit, dirigit ac ubique comitatur; *mundus hodiernus* cui tandem aliquando occurrit, concreta allatura beneficia.

Criterion ex Deo adsumptum efficit — *ut semper necessarium est*¹⁶ — ut talis *spiritualis*¹⁷ semper sit evangelica, ecclesialis, theologica, liturgica!

Criterion ex homine surgens id efficit ut eadem spiritualitas sit humana, i. e., omnem humanam naturam prorsus noscens, sanans, evolvens, foecundans variisque vitae periodis seu aetatibus et adiunctis aptata. Criterion ex ipsa actione apostolica hanc spiritualitatem specificè tangens ...¹⁸ eam determinat in sua origine concreta, cursu, evolutione et fine ad quem tendit.

Et tandem criterion ex mundo hodierno mutuatum praefatam spiritualitatem ditat detegens mundi nostri delineamenta essentialia cum eorum emolumentis augendis et noxiis vitandis.

*In summulario praefato vellem etiam addere saltem explicationem virtutis iustitiae et praesertim amoris patriae cum connexu ad cap. II de constitutione dogmatica de Ecclesia ubi de populo Dei et populi Dei universali caractere agitur.*¹⁹

*Ultimo*²⁰: tandem textus nullum edicit verbum de laicorum apostolatu *consecrato*, videlicet, de illa forma apostolatus, quae iuxta Summum Pontificem Pium XII hodie ab exc.mo secretario generali pie ac devote in memoriam revocatum et Providae Matris Ecclesiae documenta laicis plurimis non tantum occasionem vitae consecrationis dederit feliciter, sed magna ex parte suam propriam *rationem* et *formam* imposuerit.

Res admirabilis — *et sit dictum cum omni discretione*²¹ —: Nullum schema conciliare hucusque distributum de istis Institutis *Saecularibus*²²



locutus est, *ne quidem schema « De Religiosis »*.²³ Ad quod argumentum tria tantum puncta adsignare vellem:

1. Hoc Institutorum genus suapte natura etiam ...²⁴ ad laicos christianos pertinet, *quantumvis non exclusive*²⁵ ...²⁶.

2. Finis eorundem Institutorum proprius est apostolatus in saeculo exercendus; unde iam apparet haec Instituta Saecularia laicis constituta membris pertinere posse ad laicorum apostolatum.

*Utique dicit Pius XII*²⁷: « Nihil in his Institutis²⁸ ex plena christianae perfectionis professione evangelicis consiliis solide fundata et quoad substantiam vere religiosa detrahendum erit sed *perfectio est in saeculo exercenda et profitenda, ac proinde cum vita saeculari in omnibus*, quae licita sunt et quae cum eiusdem perfectionis officiis et operibus componi valeat, accommodetur oportet ».

3. Haec Saecularia Instituta habent inde intimum nexum cum omni genere laicorum apostolatu eiusdemque formis ac associationibus, Actione Catholica minime exclusa.

In hac mira formarum laicorum apostolatus varietate Instituta Saecularia *a)* augent, fovent sanctitatem et sanctificationis conatum; *b)* characterem supernaturalem *apostolatus protegunt*²⁹ nutriunt ardoremque apostolatus accendunt; *c)* constantiam *i. e.*³⁰ continuitatem associationum consociatarum *facilius*³¹ reddunt securam; *d)* et directiva munera quantumvis non exclusive adimplere valent prudenter et libere.

Tantummodo abstineant ab inserendo proprii Instituti fine in finalitatibus associationum *apostolatus*³² laicorum neque agant proselytismum pro proprio Instituto. Dixi.

In textu scripto tradito: ¹ Interventus animadversiones tria respiciunt obiecta: schematis ordinem, correctionem et complementum. I. Schematis ordo: Prorsus compertum est praesens schema notandum exstare abbreviationem schematis anno elapso editi. Haec contractio et compressus repetitiones removet superfluas, materiae tractationi et ordini nocumentum attulit. Etiam admirationem inducit eo quod haec contractio materiam respicit ab em.mo commissionis praeside supremi Ecclesiae esse momenti proclamata. Adsignatione camporum seu ambituum laicorum apostolatus ab exordio schematis praetermissa, textus inde a limine promiscue loquitur de diversis apostolatus obiectis, quamdam ingerens confusionem. Prooemium continere possit theologicum fundamentum n. 1 cap. I cui claritatis causa addatur adsignatio realitatis totius hominis in unitate eius vocationis humanae et christianae necnon eius apostolatus obiectorum et distinctionis. Idearum nexus ita oculis obiici potest: Hominis nativitas ac vita naturalis; hominis nativitas ac vita supernaturalis; eius incorporatio in Christum et Ecclesiam; missio Christi et Christi Ecclesiae; huic missioni participatio ex parte omnium Ecclesiae membrorum; apostolatus natura ceu missioni praedictae participatio; vocatio christiana natura sua dicitur vocatio ad apostolatum; laicorum apostolatus participat



Ecclesiae missioni modo ei congruo. Huius laicorum apostolatus varia obiecta nunc indicantur. II. Schematis correctio. ² deest. ³ (pag. 11, linn. 28, 32, 34; pag. 12, lin. 17 et linn. 24-25). ⁴ (pag. 13, lin. 20). ⁵ i. e. ⁶ (pag. 28, linn. 6-8). ⁷ III. Schematis complementum. ⁸ deest. ⁹ uti v. g. sacerdotium omnibus populi Dei membris commune. ¹⁰ uti v. g. participatio in munere prophetico Christi et testimonio et in servitio regali. ¹¹ esset. ¹² esset. ¹³ operositate seu. ¹⁴ brevis. ¹⁵ (cap. I, n. 5, pag. 7-8). ¹⁶ deest. ¹⁷ spiritualitas. ¹⁸ ac movens. ¹⁹ In praefato summulario specialem obtineat locum virtus iustitiae quae sola foecundas aperit vias ad fructus uberrimos caritatis. Etiam adsignanda erit patriae amoris notio genuina et praxis eo quod hoc argumentum magnum habet pondus speciatim in ambitibus internationalibus ubi laici saepius vocantur ad apostolatatum exercendum. Meminerint Patres venerabiles opusculi anno elapo omnibus nobis in hac aula oblati cuius titulus « de laicorum apostolatu organizato toto in orbe terrarum diffuso ». Haec amoris patriae notio et praxis meo sensu intime est connectenda cum expositione circa universalitatem seu catholicitatem unius populi Dei in cap. II constitutionis *de Ecclesia*. Amor patriae stat, sanatur, elevatur et quam maxime foecundatur in mystico Corpore Christi ubi omnes confluunt nationes et quaecumque privilegia si quae sint *universaliter* sunt interpretanda. ²⁰ 3. ²¹ deest. ²² deest. ²³ deest. ²⁴ (non exclusive). ²⁵ deest. ²⁶ « Iure, ex regula, nec sunt nec proprie loquendo dici queunt Religiones vel Societates vitae communis »... ideoque Instituta haec « tanquam proprio iure peculiari eorum naturae et conditioni arctius respondentia, particularibus praescriptis sequuntur » (Lex peculiaris Institutorum Saecularium). ²⁷ Et ita quidem ut Pii XII verba mutuans hic specificus etiam genericum finem exegisse atque creasse videatur. Unde fit ut proprius ac peculiaris Institutorum character, saecularis scil., in quo ipsorum existentiae tota ratio consistit, in omnibus elucere debet. ²⁸ deest. ²⁹ deest. ³⁰ et. ³¹ deest. ³² deest.

17

EXC.MUS P. D. VINCENTIUS ENRIQUE Y TARANCÓN

*Archiepiscopus Ovetensis**Venerabiles Patres,*

Schema *de apostolatu laicorum* placet iuxta modum. Aliqua enim confuse proponuntur; immo cum capite « de laicis » schematis *de Ecclesia* non plene cohaeret.

Aliquae emendationes, saltem meo iudicio, necessariae sunt. *Brevitatis causa observationes ad prooemium et ad 1 et 2 partem scriptis secretariae tradam.*¹

Tertia pars quae « de finibus assequendis » inscribitur et in qua « pressius obiecta apostolatus laicorum considerantur », est, meo iudicio, cardo seu pars principalis huius schematis, cum in ea intendatur, teste schemate, « clariori luce diversorum apostolatus inceptorum species ponere », immo munera et proprias agendi rationes statuere.



Hoc praecise laici ab hoc Concilio fidenter spectant. Ita etiam eminet figura laici — a clerico et religioso discriminata — in dispositivo apostolico Ecclesiae. Immo si haec doctrina bene proponitur, ea quae dicta sunt in cap. IV schematis *de Ecclesia*, in quo laici considerantur in mysterio Ecclesiae et ipsorum ratio essendi et agendi tamquam specialis Corporis Christi membra statuuntur, recte complebuntur.

Et haec pars mihi *minus*² placet. Ex dictis enim in memorato schemate, elucet dari activitatem apostolicam ecclesiam quae est propria laici baptizati. Activitas quae nullatenus est a clericis exercenda, nisi specialibus in adiunctis, et per modum exceptionis, — in casu emergentiae —; illa activitas memorata in nostro schemate, n. 11, sub titulo « De ordine temporali instaurando », cui adiungenda est activitas de *assistencia sociali*, quae in schemate proponitur numero sequenti, quae autem, de facto, incidit plene in ambitu ordinis temporalis.

Hac in activitate laici non modo « *peculiares partes habent*: et ideo *responsabilitate propria* agant oportet », sicuti in schemate asseritur, sed melius dicendum erit, talem activitatem ad laicos iure proprio pertinere. Exigitur enim eorum ad fidem vocatione, estque consecraria donorum acceptorum. In illa ergo activitate, laicis competit functio directiva et plena responsabilitas. Sufficit ut auctoritati generali Ecclesiae pareant circa orthodoxiam et moralitatem, necnon in aliquibus casibus, circa convenientiam alicuius incepti.

Attamen, apostolatus proprius laicorum non tantum ad « animationem christianam ordinis temporalis », ut verbis utar schematis, restringitur.

Apostolatus qui *specializatus* dicitur, quique evangelizationem ambitum vitae specialiter intendit, etiam laicis iure proprio competit. Nam Christi nuntium mentalitati et adiunctis uniuscuiusque vitae ambitus aptari debet.

Quae quidem aptatio, tantum ab iis qui in eodem ambitu vivunt efficaciter fieri potest. Haec est ratio qua Pius XI clare affirmat in Encyclica *Quadragesimo anno*: « Primi et proximi nimirum opificum apostoli, opifices sint oportet... ».

Immo Paulus VI, feliciter regnans, asserit in Encyclica *Ecclesiam suam*: « Quoniam hominum coetui nulla salus afferri extrinsecus potest, opus est utique, ut primum, non secus atque Verbum Dei, quod seipsum fecit hominem, eorum vitae formas induamur, quibus Christi nuntium delaturi sumus ».

Quo in casu, non de actione in ordine temporali, sed de vera et propria evangelizatione agitur, nam ipsius finis est eorum animas, qui in ipso ambitu vivunt, lucrari Christo.



Etiam peculiare partes habent laici in quibusdam aspectibus ipsius apostolatus hierarchici. Puta, e. g., quae in hac aula dicta sunt dum disputatio fieret de « instrumentis communicationis socialis ». Certo certius instrumenta communicationis socialis, ad mundi evangelizationem quamplurimum possunt iuvare, ideo Sancta Synodus decretum approbavit.

Attamen, cum haec instrumenta partem technicam et oeconomicam necessario habeant, in votis omnium erat, et ita in decreto clare dicitur, laicos peculiare partes habere in eorum usu.

Haec clare et perspicue in schemate constare debent.

Insuper specificandus est modus quo laici possunt — et qui illorum melius instructi sint, debent — collaborare in activitatibus apostolicis quas clerici iure proprio exercent, in illis omnibus pro quibus character sacramentalis Ordinis non requiritur; ex quo accedit laico specialis praecellencia — ope electionis ex parte hierarchiae — et illis advenit maior responsabilitas, intra populum christianum. Et hoc consequitur, tum si aliquis invitetur in individuo ad hanc operam praestandam, tum si vocatio fit mediante quavis associatione ad hoc, ab ipsamet hierarchia creata: et hic est casus Actionis Catholicae, unde nihil mirum quin Romani Pontifices locuti sint, membra Actionis Catholicae quod attinet, de quadam vocatione quae sacerdotali vocationi assimilatur.

Tandem, nec opportunum, nec utile aestimo, ut, numero speciali, persolvatur, in hac sectione, tractatus de actione caritativa. Arbitror huiusmodi methodologia confusionismo ansam praebere. Actio enim caritativa sistit in eodem plano ac « oratio pro calumniantibus ...³ » vel « correctio fraterna ». *Sunt etenim*⁴ exigentiae caritatis supernaturalis, ideoque, vitae christianae *tum pro laicis, tum pro sacerdotibus et religiosis*.⁵ Igitur non video qua ratione earum una — prae ceteris — expresse pertractari debeat in schemate *de apostolatu laicorum*. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: ¹ *Ad prooemium:* Supprimi debet, quia innecessaria, par. 1, sub linn. 1-8.

Etiam supprimendas censeo rationes in par. 2 allatas, linn. 11-16, h. e., punctum incipiens hisce verbis: « Progressus, enim, ... » quodque verbis « curam expectant » clauditur. Sunt etenim minus necessariae eiusmodi rationes.

Ad n. 1: Tollenda est lin. 25, pag. 5. Profert explicationem qua praecindi potest. Insuper, loco verborum: « Corpus enim Mysticum non sinit ullum membrum esse mere passivum » quae lin. 27 prostant, haec substitui propono: « *quia omnes in aedificationem Corporis Christi — quod est Ecclesia — sunt vocati* », et subiungatur verbo sequenti, « vocatio », particula « ergo ».

Lin. 3, pag. 6, verbo initiali « Apostolatus », postponatur particula « enim »,



et supprimatur integrum comma paragraphum concludens, nempe, verba quae sic sonant: « est enim innata necessitas vitae christianae et obligatio quae oritur ex praecepto caritatis », eo quod fundamentum apostolatus laicalis latius patet in paragrapho sequenti.

Ad n. 2: Hic non pauca confusione laborat.

Initium sumitur disserendo *de obligatione* quae omnes laicos tenet apostolatuum exercendi ut concludatur tractatione de ratione ultima qua apostolatus efficax redditur, scil., unio cum Christo.

In paragraphis quae sequuntur sermo est de diversis modis quibus apostolatu quis dare operam potest.

Claritatis gratia, censeo fore melius ut, argumenta de necessitate orationis, de unione cum Christo et de ceteris mediis quibus vita spiritualis illorum qui apostolatu incumbunt tuetur et ipsorum opus suam haurit virtutem, alio loco tractata venissent. Fortasse cum loquitur de formatione apostolica.

Ad n. 3: Cum de formatione apostolica aggreditur tractatus, necessarium teneo ut expressis verbis loquatur de instructione spirituali apostoli necnon et de momento quod, in ordine ad apostolatuum habent virtutes illae sic dictae passivae, nempe: humilitas, obedientia, castimonia, paupertas, spiritus mortificationis...

Pars II: *De communitatibus et vitae ambitibus.* Duo aspectus hic clare distinguendi sunt:

1. Apostolatus duplicem exigit activitatem: alteram individuaem, a singulo in singulum; alteram collectivam, versus vitae ambitus, structuram, institutiones.

2. Christianos apostolicae actioni operam duros non tantum quatenus sunt personae individuae, sed etiam quatenus sunt membra communitatum — naturales sint illae vel supernaturales — ad quas forte pertinent.

Re enim vera, necessaria est operositas in sensu apostolico cuius obiectivum sint: familia, lares, officina laboris, loca ad relaxandum animum etc. Aliunde oportet ut familia qua talis, communitas paroecialis et alii coetus christianorum qui constituunt determinatum vitae ambitum specificè discriminatum, in sensu communitario apostolice adlaborent.

Licet ergo loqui de communitatibus vel vitae ambitibus, aut tamquam de campo apostolatus laicalis aut tamquam de *instrumentis* apostolatus ecclesialis. Et magni interest in distinguendis conceptibus qui hic indiscriminatim pertractantur. ² non. ³ nos. ⁴ Profecto sunt. ⁵ deest.

Venerabiles Patres,

Duae animadversiones tantum. Una de ipsa notione apostolatus laicorum; altera de propria responsabilitate laicorum in apostolatu exercendo.¹

I animadversio. Hoc schema ...² — quod in genere valde placet —

debet apostolatui laicorum in mundo favere et eo magis illi³ favebit, quo clarius delineabitur ipsa notio apostolatus.

In textu autem, haec notio modo satis distincto nondum explanatur.

In n. 1, v. g., *dicitur*⁴: apostolatum nomen trahere « a munere docendi, regendi, et sanctificandi apostolis concredito eorumque successoribus », ex quo sequitur eminens pars episcoporum in apostolatu Ecclesiae. *Et simul asseritur*⁵ apostolatum esse etiam « necessitas vitae christianae » et pro omnibus Ecclesiae membris obligatio.

Hae duae assertiones verae sunt ac optimae; sed quomodo inter se plene arteque consentiant?

Item ...⁶, apostolatus laicorum dicitur tantum se extendere « quantum ipsa missio Ecclesiae, iis solum muneribus exceptis quae potestatem ordinis vel iurisdictionis exigunt ».

Modus ille exponendi evidenter aliquam ambiguitatem prae se fert, cum *videretur ostendere*⁷ hierarchiam uti apostolatui laicorum extrinsecus fines imponentem. Alius enim est hierarchiae apostolatus et alius laicorum, etsi uterque ab eadem missione Ecclesiae ortus sit *et ad eundem finem tendit*.⁸

Optaretur ergo ut in initio schematis, ad mentem constitutionis *de Ecclesia*, affirmationes *clariores*⁹ ponerentur:

1. Missio Ecclesiae in mundo declaretur, scil. « annuntiandi veritatem salutarem usque ad ultimum terrae » (ut dictum est in constitutione *de Ecclesia* ...¹⁰).

2. In ipsa Ecclesia, distinguatur inter:

a) missionem, seu munus *episcoporum*, apostolorum successorum, quibus competit obvio sensu vocabulum « apostolatus » ...¹¹

et b) obligationem qua *quisquis fidelis* baptizatus et confirmatus, — sive presbyter, sive religiosus, sive laicus, — tenetur testificandi fidem suam; quod testimonium « apostolatus » latiori sensu vocari solet ...¹².

3. Denique, inter christifideles, specificetur « *apostolatus laicorum* », propter eorum propriam conditionem in mundo. *Nam sicut scriptum est in constitutione de Ecclesia*,¹³ « Apostolatus laicorum est participatio ipsius salvificae missionis Ecclesiae » ...¹⁴.

*Tales affirmationes*¹⁵ in totum decreti textum ...¹⁶, clariorem lucem inducerent, praesertim quoad formas et fines laicorum apostolatus, et eius rationem ad sacram hierarchiam.

II *animadversio*. Eadem praecisio optatur quoad « *responsabilitatem* » laicorum.

Ut haec vera responsabilitas strenue agnosci et promoveri possit, necesse est *ut*¹⁷ eam clare secernere a *responsabilitate propria*¹⁸ episcopo-



rum, et alterius ad alteram definire habitudinem. Atqui, in schematis textu, quaedam latet ambiguitas.

Sane decretum loquitur, eximiis quidem verbis de laicorum responsabilitate, in dies crescenda. Toto corde assentio commendationibus, constitutione *de Ecclesia* inscriptis et pastoribus dedicatis *v. g. his verbis*:¹⁹ « sacri Pastores laicorum dignitatem et responsabilitatem in Ecclesia agnoscant et promoveant... ».

Sed textus *noster*²⁰ non satis explanat quomodo inter se consentiant haec laici vera responsabilitas in Ecclesia et illa — quae evidenter est altioris generis —, responsabilitas episcopi in Ecclesiam (iam non dico *tantum*²¹ in Ecclesia, sed *in Ecclesiam, i. e.*²² erga Ecclesiam ...²³).

Insuper, si revera Spiritus Sanctus posuit episcopos ad regendam Ecclesiam Dei, idem ipse est Spiritus qui libera ac spontanea laicorum incepta apostolica in Ecclesia suscitavit.

Episcopi est audire Spiritum, et eius vocem non extinguere nimio suae auctoritatis exercitio, quod iustam laicorum responsabilitatem offenderet.

Laicorum vero est agnoscere munus proprium episcopi circa quodvis apostolicum inceptum; nam episcopus, cum sit sponsor Ecclesiae, sponsor est apostolatus in dioecesi, etiamsi auctoritas sua, i. e. servitium suum diversis modis iuxta diversas formas apostolatus exercentur.

Maiorem claritatem statuere in his quaestionibus de apostolatu *laicorum*²⁴ necessarium est, tempore praesertim quo Ecclesia plura ac semper plura sperat de laicis ...²⁵. Dixi.

In textu scripto tradito: ¹ deest. ² de apostolatu laicorum. ³ eo magis apostolatu laicorum. ⁴ simul asseritur pag. 6, linn. 3-8: 1). ⁵ 2). ⁶ pag. 6, lin. 14. ⁷ periculum praebet ostendendi. ⁸ deest. ⁹ clarae. ¹⁰ pag. 38, n. 17 « de indole missionaria Ecclesiae ». ¹¹ (cf. *de Ecclesia*, pag. 66, n. 24 « de episcoporum ministerio »). ¹² (cf. *de Ecclesia*, pag. 38, lin. 38 « cuilibet discipulo Christi onus fidei disseminandae pro parte sua incumbit »). ¹³ (*de Ecclesia*, pag. 120, n. 33, lin. 14). ¹⁴ et pag. 118, linn. 6 ss. « laicis indoles saecularis propria et peculiaris est... »). ¹⁵ Hae propositiones. ¹⁶ scil. in multas analyses quae iam optimae sunt. ¹⁷ et. ¹⁸ deest. ¹⁹ circa laicorum dignitatem et eorum agendi libertatem (cf. *de Ecclesia*, pag. 125, linn. 4 ss.). ²⁰ deest. ²¹ deest. ²² deest. ²³ Quae vero res est maximi momenti ut inducatur lux in multas controversias hodiernas, quae in posterum multiplicandae iure timentur. ²⁴ deest. ²⁵ Huius ergo decreti valde opportuni est lumen plene facere super eorum apostolatum.

Moderator: Congregatio proxima erit cras hora 9.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: Reponatur Sacrosanctum Evangelium.